



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvatio XXIV. De Satisfactione secundum se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

centiam illam, quæ regulariter secretò datur. Ita Suarez numero 4. & in fortioribus terminis Thomas Sanchez libr. 3. de matrim. disp. 37. num. 5. quando opponitur contra Sacerdotem, interfuisse matrimonio absque licentia Parochi. Quare Suarez ibi, & Bernardus Diaz de Lugo in *Practica criminali can. capite* 109. & alij dicunt, totum hoc ex coniecturis, & circumstantiis pendere: nam, si Sacerdos bonæ famæ sit, & honestè vitæ, si nihil mali pœnitenti intulit; sed potius reuelatio tendebat ad eius bonum; præsumitur licentia, & probandi onus refunditur in pœnitentem.

151. Distinguere possumus: nam, si pœnitens accuset de reuelata confessione, & Sacerdos neget se, tale peccatum dixisse, aut reuelasse, pœnitens debet probare, ut constat, cum crimen non præsumatur, nisi probeatur. Si verò constet, Sacerdotem dixisse illud peccatum, ipse verò neget, se illud in confessione audiuisse, credo, debere ab ipso ostendi, unde illud sciret: quo non probante, punietur quidem, non tamen pœna ordinaria, sed leuiori, quia non est conuictus de delicto: ut cum alijs tradit Barbat. 2. volum. conf. 70. quod incipit *Sapienter, ni fallor, col. septima in principio*. Si verò constet de reuelatione, dicat tamen Confessarius, se habuisse licentiam pœnitentis, distinguendum videtur cum Mascardo, quem refert, & sequitur Thomas Sanchez *ubi supra*, numero 5. qui in casu matrimonij dicunt, si contra licentiam opponatur à tertio, ipsi incumbere probare; si verò à proprio Parocho, transferri onus probandi in Sacerdotem, qui interfuit matrimonio, vel in ipsos contrahentes. Quam distinctionem in casu nostro approbat etiam Lapsus *allegat*. 94. quæ incipit, *Quidam Presbyter. ut*, si accuset ipse pœnitens, Sacerdos debeat probare licentiam: si verò accuset alius tertius, maximè, si pœnitens iam sit mortuus, probatio incumbat accusatori.

152. Ratio utriusque partis esse potest: quia quando à tertio opponitur, cum ipse non possit, nisi ad summum ex auditu scire carentiam licentiæ; ipsi incumbit onus offerendi alias probationes: quia delictum Confessarij non præsumitur; sed ex communiter contingentibus præsumitur reuelasse cum licentia, quæ ferè semper secretò conceditur. Quando verò ipse pœnitens accusat, qui scire bene potest licentiæ carentiam: maiorem fidem facit, licet non plenam: quare oportet, quòd Confessarius purget illam probationem per probationes contrarias. Potest tamen præponderare bona existimatio de probitate, & prudentia Confessarij: præsertim, si pœnitens è contra famam habeat non bonam, & aliquam inimicitiam occasionem aduersus Confessarium. Et hæc sufficiant de confessione. Nunc dicemus de satisfactione sacramentali, quæ est vltima pars huius Sacramenti: prius tamen oportebit dicere de satisfactione secundum se, qua satisfaciunt iusti ex opere operantis per opera pœnalia facta in gratia: postea verò dicemus de satisfactione sacramentali, qua satisfit ex opere operato.

* * *

DISPUTATIO XXIV.

De satisfactione secundum se.

SECT. I. *Virum possit homo satisfacere de condigno pro debito pœna temporalis.*

Dubium incidens. *An possit homo aliter, quam per condignam satisfactionem liberari à debito pœnae, per impetrationem, vel merita congrua.*

SECT. II. *An, & quomodo requiratur status gratia ad satisfactionem de condigno.*

SECT. III. *An satisfactio requiratur opus honestum pœnale, & ex intentione satisfaciendi.*

SECT. IV. *Virum actus, seu passio externa addat satisfactionem supra actum internum.*

SECT. V. *An, & quomodo passiones, & pœna ab intrinseco, & necessarii pronuntiantes, possint esse satisfactoria.*

DE VERAT *supra* post disp. 11. tractati de pœnitentiæ virtutis effectu ad expiationem pœnae temporalis, quæ appellatur satisfactio pro pœna: ne tamen tractatio de satisfactione divideretur, sequuti sumus vsum Scripturæ, & referuimus ad hunc locum illum effectum, ubi de satisfactione sacramentali dicuri sumus. Dicemus ergo prius de satisfactione secundum se, hoc est, secundum virtutem, quam bona opera habent ad satisfaciendum, & delendum debitum pœnae temporalis; ut postea gradum faciamus ad satisfactionem, quam afferunt eadem opera, propter eleuatam per efficaciam huius Sacramenti.

SECTIO I.

Virum possit homo satisfacere de condigno pro debito pœna temporalis.

SUPPONENDUM primò ex dictis *disput. 8. sect. 2.* Remissa culpa, non semper aufertur totum debitum pœnae: nam, licet remissa culpa mortali, aufertur reatus totius pœnae æternæ, non tamen aufertur reatus totius pœnae temporalis, ut contra Hæreticos nostri temporis definitum est in Tridentino *sess. 6. canone* 30. & *sess. 14. cap. 8. canon. 12. 13. & 14.* & latè eorum errorem confutant Vega *lib. 13. in Tridentinum, cap. 36. & segg.* Soto *in 4. disp. 29.* Castro de *hæresibus, verbo, Pœnitentiæ, Bellarm. lib. 4. de pœnit. cap. 2.* Valquez in *presenti, quest. 94. art. 1. dub. 1.* & alij communiter. Unde peccatum veniale aliquando remittitur, remanente toto debito pœnae; nempe, quando iustus moritur cum aliquibus culpis venialibus nondum remissis quoad culpam in hac vita: tunc enim statim post mortem remittitur culpa ut diximus *disput. 9.* & tamen manet integrum debitum pœnae soluendæ in Purgatorio.

Supponendum secundò, hoc debitum pœnae dupliciter posse expiari. Primò, per propriam satisfactionem ipsius debitoris, seu ex opere operantis: Secundò, ex opere operato per satisfactio-

nem Christi, quæ applicatur per Sacramenta, vel per Indulgentias, aut Sacrificium eucharisticum. Nunc primò dicendum est de priori modo, qui sit per propria opera satisfaciens, & qui fuit semper in omni statu naturæ, legis antiquæ, & legis nouæ. Quem modum possibilem esse, latè probant contra eosdem Hæreticos Controuersistæ communiter, & Suarez in *presenti, disp. 36. sect. 1.*

2. Dubium est, quomodo, remisso peccato quoad culpam, remaneat reatus pœnæ temporalis; an scilicet: ex mera voluntate Dei, an ex natura rei, & ipsius iustificationis: de quo latè Vasquez *vbi supra, dub. 2.* vbi affert Scotum in *dist. 21. quest. 1.* qui dixit, hoc fieri ex mera Dei voluntate: quia, cum ipse Scotus aliàs sentiat, qualitatem gratiæ non esse ex sua natura physica formam expulsiuam peccati; sed ex Dei acceptatione remittentis peccatum ad præsentiam gratiæ; & rursus peccatum remitti, quatenus ad pœnam non imputatur; consequenter debuit diuinæ voluntati soli attribueretur, quòd peccatum non remittatur totaliter quoad reatum pœnæ temporalis.

3. Ipse verò Pater Vasquez è contra dicit, hunc reatum pœnæ temporalis manere ex natura rei, & ipsius iustificationis: nam iustificatio, cum fiat per infusionem gratiæ habitualis sanctificantis, ex natura sua affect ius ad gloriam æternam, & per consequens dignitatem gloriæ æternæ, cum qua non potest stare dignitas pœnæ æternæ, cum non possit aliquis simul esse dignus gloria æternæ, & dignus carentia æternæ eiusdem gloriæ: ergo ex natura sua infusio gratiæ affect ablationem pœnæ æternæ. Quòd verò reatus pœnæ temporalis, qui restat, non remaneat ex mera Dei voluntate, sed etiam ex natura rei, probat; quia Deus neminem punit, qui iam ex se non sit dignus illa pœna: ergo fatendum est gratiam ipsam non afferre ablationem totius reatus ad pœnam. Nam, si hoc esset, Deus non posset addere illum reatum pœnæ temporalis, quem gratia ex natura sua abstulisset, atque adeò dicendum est, virtutem sequi ex natura iustificationis, scilicet, quòd auferatur reatus pœnæ æternæ, & quòd remaneat aliquis reatus pœnæ temporalis.

4. Nobis consequenter ad nostra principia paulò aliter dicendum est. Primò fatendum est, gratiam sanctificantem ex natura sua afferre, quòd remittatur debitum pœnæ æternæ: non ita, vt ipsa gratia formaliter deleat reatum pœnæ absque voluntate Dei condonantis; sed ita vt gratia ex natura sua exigat talem condonationem. Quare, licet hoc esset contra naturam, & exigentiam gratiæ; posset tamen Deus de potentia absoluta, deleta macula, retinere ius ad pœnam æternam propter peccatum præteritum; sicut nunc retinet ius ad pœnam temporalem, vt dixi *disp. 8. de Incarnatione, sect. 7. num. 127. & disp. 26. sect. 3. num. 43.* & rursus hoc eodem modo, *disp. 7.* Quo casu haberet quidem homo ius ad condonationem pœnæ, atque idè haberet ius quasi radicale, & dignitatem remouendi carentiæ pœnæ æternæ: quia tamen Deus posset non ponere condonationem, quam gratia exigit, maneret adhuc debitum proximum pœnæ æternæ, & carentiæ gloriæ. Cæterum de facto Deus attendendo ad exigentiam gratiæ, & ad eius naturam, condonat reatum pœnæ æternæ, quæ condonatio meritò dicitur fieri ex natura ipsius iustificationis, & gratiæ, contra cuius naturam esset, si Deus non condonaret homini iusto reatum pœnæ æternæ.

5. Secundo, addendum est, ita fieri ex natura iustificationis hanc condonationem pœnæ æternæ, *P. Ioann. de Lugo de Penitentia.*

vt tamen commutatio illius in tantam, vel tantam pœnam temporalem non habeatur præcisè ex natura vel determinata exigentia ipsius gratiæ: nam gratia etiam intensa non petit de se, vt commutetur pœna æterna in tantam pœnam temporalem; sed hoc pendet ex libera voluntate Dei, qui, iuxta ordinem suæ sapientiæ, legem statuit de commutatione faciendâ iuxta dispositionis gradum, iuxta Sacramenti dignitatem vel alias circumstantias. Itaque gratia ex se solum exigit, quòd condonetur pœna æterna, vel tota, vel certè commutetur in temporalem: quanta autem sit futura temporalis, pertinet ad liberalitatem Dei, qui pro libito potest in longiorem, aut breviorē, commutare. Nam aliquando maior, & intensior gratia confertur per Sacramentum Penitentiae, quam per Baptismum: & tamen illa gratia remissa in Baptismo affert condonationem totius pœnæ: gratia verò intensa in Sacramento Penitentiae affert solum commutationem pœnæ æternæ in temporalem. Rursus, quando homo per contritionem extra Sacramentum disponitur ad iustificationem, non possumus dicere, quòd ad tantam contritionem consequatur ex natura rei commutatio pœnæ æternæ in tantam pœnam temporalem: quia, cum neque ipsa iustificatio, aut infusio gratiæ consequatur ex natura rei, sed ex Dei clementia, qui attendit ad contritionem, tanquam ad dispositionem de congruo, vt conferat gratiam, & tantam gratiam, quam, & quantam non exigebat ex natura sua talis contritio; consequens est, vt neque commutatio pœnæ æternæ in tantam temporalem consequatur ex natura rei; sed ex Dei voluntate acceptantis illam congruam dispositionem ad talem modum remissionis pœnæ.

6. Dicit aliquis, commutationem illam in tantam pœnam temporalem fieri aliquo modo ex natura rei: quatenus eo ipso, quòd Deus acceptat talem contritionem, vt dispositionem ad tantam gratiam habitualement, & attendit ad quantitatem contritionis, sicut, si esset meritoria de condigno, consequenter debet attendere ad eandem contritionem, sicut, si esset satisfactoria de condigno, vt auferat tantum, vel tantum debitum pœnæ temporalis. Cum enim opera meritoria de condigno habeant ex natura sua utrumque valorem, scilicet, in ratione meriti, & in ratione satisfactionis; & quidem cum tali proportionē, vt sicut valent ad merendum, valeant cum proportionē ad satisfaciendum; consequens esse videtur, vt eo ipso, quòd Deus eleuat contritionem ad merendum talem gradum gratiæ, sicut, si esset meritoria de condigno; debeat ex natura rei eam eleuari ad satisfaciendum cum eadem proportionē, sicut, si esset satisfactoria de condigno, ita vt satisfaciatur pro tanto debito pœnæ, quantum auferret, si mereretur de condigno tantum gradum, quantum eius intuitu de facto confertur.

7. Sed neque hoc modo explicari potest illa exigentia ex natura rei ad talem commutationem determinatam: quia, licet daremus, debere contritionem habere æqualem virtutem ad satisfaciendum, ac ad merendum; debere eleuari, vel acceptari æqualiter ad utrumque effectum; id totum ad nihil deserviret, nisi prius interueniat libera voluntas Dei commutantis pœnam æternam in tantam pœnam temporalem. Pone enim contritionem acceptari à Deo ad merendam gratiam vt quatuor, atque idè debere etiam eleuari, vt possit satisfacere, v.g. vt quatuor, seu pro pœna quatuor annorum; restat adhuc difficultas, ex quo numero debeant auferri illi quatuor anni: atque idè prius

prius debet supponi, quod Deus liberè commutaverit pœnam æternam in pœnam centum annorum, cum potuisset ex natura rei commutare in pœnam mille annorum, ut tunc ex illis centum annis auferantur quatuor. Unde prima commutatio in tantam, vel tantam pœnam temporalem non potest ex natura rei determinari, neque ab ipsa gratia, neque à contritione, neque à gratia, ut datur intuitu talis contritionis; sed solum gratia exigit commutationem in aliquam pœnam temporalem, quam Deus pro suo arbitrio taxare potest maiorem, vel minorem, ut diximus: observat autem leges à se statutas, quæ leges non fuerunt cum tali determinatione conditæ propter aliquam determinatam exigentiam ipsius gratiæ.

7. His suppositis, controuersia præsens, & præcipua est, an satisfactio, qua homo iustus satisfacit ex opere operantis pro debito pœnæ temporalis, sit dicenda de condigno, & ad æqualitatem. Quæ questio magna ex parte coincidit cum simili questione quæ 1. 2. tractari solet circa valorem, & condignitatem nostrorum meritorum: quare breuiter eam expediemus. Aliqui ergo videntur non agnoscere condignitatem in nostris operibus ad satisfaciendum pro pœna alterius sæculi. Ita videntur sentire Durand. dist. 13. quæst. 5. ad 2. & Ledesm. 2. part. 4. quæst. 12. qui indicat, totum hoc positum esse in diuina acceptione, & beneuolentia. Clarius loquitur Ioan. Medina Cod. de satisfact. q. 1. in fine, qui dicit, nostram satisfactionem posse esse condignam, si pœna Purgatorii est eiusdem rationis cum pœna huius vite; sed si sit alterius rationis: quia, qui soluit pretium inferioris rationis, non soluit sufficienter, & condignè: atque idè indiget misericordia creditoris acceptantis illam solutionem. Denique clarissime loquutus est Michaël Baius ut apparet ex duabus eius propositionibus contentis in Bulla Gregorij XIII. contra ipsum, quas statim referemus, in quibus nullam omnino condignitatem admittere videtur in nostris satisfactionibus.

8. Contraria sententia communis est omnium Theologorum, quos sequuntur Suarez in præsent. dist. 17. sect. 3. & 10. & Valquez. vbi supra, dub. 3. & omiſſis aliis, quæ apud prædictos Auctores videri possunt, videtur mihi probari posse primò ex Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. in quibus homo dicitur simpliciter satisfacere per eiusmodi opera: qui autem æquale non soluit, non facit simpliciter, & absolute: sed facit aliquid quod ex se non sufficit, & quo posito, creditor condonat: nam satisfacere, est sufficienter facere, hoc est, quantum satis, & sufficiens est ad delendum debitum.

Unde secundo probatur: quia, si nostra satisfactio pro pœna temporali non esset de condigno, sed solum de congruo, eodem modo dici posset, quod satisfacit homo pro debito pœnæ æternæ, sicut pro debito pœnæ temporalis, cum per contritionem, sicut meretur de congruo remissionem peccati, sic etiam satisfaciat de congruo pro debito pœnæ æternæ. Consequens autem videtur esse contra modum loquendi eiusdem Concilij Tridentini, quod clarè distinguit. & reatum pœnæ æternæ dicit remitti; reatum verò pœnæ temporalis dicit, non semper remitti, sed per satisfactionem tolli: sic enim loquitur sess. 6. c. 14. vbi enumerans partes Sacramenti Pœnitentiæ dicit, in eo contineri etiam satisfactionem per ieiunia, elemosynas, orationes, & alia pia spiritualia vite exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto cum una culpa remittitur, sed pro

Conc. Trid.

pœna temporali; quæ ut sacra Littera docent, non tota semper (ut in Baptismo fit) dimittitur illi, qui gratia Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti. Quibus verbis aperte dicitur, pœnam æternam simpliciter remitti; & idè non satisfacere pro illa, sicut pro temporali, quæ non semper tota remittitur: ergo pro temporali, ex mente Tridentini satisfaciunt de condigno: alioquin remitti diceretur, sicut æterna, pro qua etiam satisfaciunt de congruo.

Tertio probari potest ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra propositiones Michaëlis Baii, in qua referuntur duæ propositiones illius Auctoris, quæ cum aliis prohibentur, nempe 59. quæ talis erat: Quando per elemosynas, aliaque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant; nam alioquin, effusimus aliqua saltem ex parte redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur, & nullus 77. quæ talis erat: Satisfactiones laboriosæ iustificationem non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatum. His duas propositiones prohibent prædicti Pontifices in illa Bulla, ex qua prohibitione firmissime roboratur proposita conclusio, quæ illis propositionibus ex aduerso contradicit.

Quarto denique probatur ratio: quia opera hominis iusti habent æqualitatem, & condignitatem in ratione meriti, in ordine ad beatitudinem æternam: ergo possunt habere condignitatem ad redimendum paulatim debitum pœnæ temporalis, quod est multò minus. Undè corrumpit fundamentum Medinæ supra positum; nam plus speratur opus nostrum à præmio beatitudinis æternæ, quàm pœnalitas huius vite à pœnis alterius sæculi: & tamen illa inæqualitas in esse est, & naturæ, non impedit proportionem requisitam inter præmium, & meritum condignum; ergo, neque ista tollit proportionem inter satisfactionem, & debitum, pro quo satisfit. Mereri enim non est emere pro æquali pretio æqualitate rei, sed est seminare apud æquitatem, & gratitudinem Principis: quare æqualitas meriti, non est sicut pretij, sed sicut seminis in corde Principis fecundissimo. Sic etiam satisfacere, non est satis pati; sed imitari meritum, èd quod debitor tendat ad placandum Principem, & alliciendam eius mansuetudinem, ac clementiam, ut acceptet voluntariam punitionem anticipatam, & placeatur, ne exigat debitam pœnam. Undè multò minor pœnalitas sufficit ad expiandum debitum maioris pœnalitatis, præsertim accedente dignitate illius, qui se spontaneè castigat, qui est filius Dei adoptiuus per gratiam iustificatam, ut postea videbimus.

Dices, totam virtutem, & valorem operis expendi in promerendo augmento gloriæ: ergo non potest simul de condigno obtinere redemptionem pœnæ: alioquin rolleretur aliquid de præmio gloriæ, quam posset mereri illud opus, ne mereatur præmium ultra condignum. Respondetur, opera hominis iusti, ut sæpius dixi, non extinguere debitum pœnæ per modum meriti, sed per modum satisfactionis, quod est valè diuersum genus: nam meritum est, in ordine ad gratitudinem, vel aliam virtutem similem, quæ inclinatur ad præmiandum, satisfactio verò est, in ordine ad iustitiam punitionis: vel in ordine ad mansuetudinem, qua placatur Iudex, ne ponatur

cum tanto rigore. Quod soleo hoc exemplo explicare. Finge, esse in Republica duos Superiores, ad quorum alterum pertineat remunerare, & premiare pro bonis operibus, ad alterum punire scelera. Planè, si aliquis reus pœnæ subiret sponte sua ingentes labores pro Republica tuenda, æquum esset, ut secundus Superior temperaret, vel reuocaret pœnam, quam ille reus debebat: & tamen hic Superior non potest remunerare, aut premiare, ut suppono: ergo hæc temperantia pœnæ non est præmium propriè dictum, sed cessatio à punitione, & acceptatio vnius pœnæ pro alia: quia æquum est, ut iustitia placeat, quando reus sponte sua se laudabiliter afflixit. Differunt ergo meritum, & satisfactio, quod meritum reddit hominem dignum præmio: satisfactio non reddit dignum, sed tollit saltem remotionem dignitatem pœnæ, quam habeat. Non habet itaque maius præmium in ratione præmij illud opus, quo simul homo meretur gloriam, & satisfactio pro pœna, quam si non satisfaceret: nec è contra, qui non habet debitum pœnæ, pro quo satisfaciat, meretur plures gradus gloriæ, cò quod habeat adiutivam totam operis magis liberam. Sicut opus bonum impetratorium non meretur minus præmij ex eo, quod simul impetret alteri aliquid beneficium, nec meretur plus ex eo quod nihil impetret, quia sunt adiutivitates disperate in eodem opere.

Supposito itaque, quod satisfactio hominis iusti sit de condigno, dubitantur, an indigeat acceptatione Dei, ut expiet reatum pœnæ temporalis, an verò sine illa habeat totam suam virtutem, & efficaciam. Pater Vasquez in præfati, dicto art. 1. dub. 3. & in 1. 2. disput. 221. num. 32. docet, non indigere vlla Dei acceptatione: imò addit, licet stante merito condigno, posset Deus non dare præmium, non tamen posse punire hominem, qui ex se obtulit condignam satisfactionem: nam, qui debet, & solvit sufficienter, eo ipso extinguit debitum, nulla posita acceptatione creditoris. Contrariam sententiam docet P. Suarez cum aliis in præfati, disput. 37. sect. 8. scilicet, requiri Dei acceptationem: quod infert ex eo, quod ad meritum etiam de condigno dixerat requiri promissionem Dei.

In hoc puncto aliqua sunt de nomine, & in quibus quoad rem ipsam omnes debemus convenire, aliquid est de re. Debemus ergo convenire, primò, in hoc, quod iam in ordine ad satisfaciendum, quam in ordine ad merendum, opera iusti viatoris habent de se antecedenter ad promissionem, & acceptationem Dei valorem sufficientem, seu æqualitatem, & proportionem, ratione cuius, quantum est de se, non sunt inferioris virtutis, vel activitatis ad illum effectum: nam divina promissio, vel acceptatio non facit, quod opus sit melius, & per consequens, quod de se habeat maiorem valorem, sed solum acceptat id, quod de se, verbi gratia valet decem, ad danda ea decem pro illo, vel intuitu illius.

Secundò, debemus concedere, quod, ut Deus teneatur reddere præmium pro merito condigno, requiritur eius promissio: alioquin ipse Vasquez fatetur, quod positus meritis condignis, Deus posset nullum reddere præmium, cum ea merita Deum non necessitent ad præmiandum. Quare, quod attinet ad meritum, est quæstio de nomine, an opus iusti de se, & ut distinctum à promissione Dei, dici debeat meritum de condigno, an solum dignum, hoc est valorem, & dignitatem habens, ratione cuius, accedente Dei promissione, esset simpliciter meritum.

P. Ioann. de Lugo, de Penitentia.

Et quidem in hac quæstione de nomine placet magis modus loquendi P. Vasquez, quod etiam antecedenter ad Dei promissionem, opera iusti de se sint meritoria de condigno, & homo per illa sit dignus, & mereatur de se gloriam, licet Deus non daret. Primò, quia esse dignum, & mereri videtur synonyma: si verò opus iusti de se habet valorem, & dignitatem, de se etiam habet mereri tale præmium. Secundò, quia meritum de congruo, etiam absque promissione Dei, est verè meritum congruum: non enim præcedit promissio Dei, quoties propter aliqua merita congrua Deus confert aliquod beneficium; ergo denominatio meritorij operis non requirit Dei promissionem, sed habetur ab ipsa congruitate, vel valore ipsius operis. Tertiò, quia demerita, seu peccata viatoris, etiam absque vlla Dei comminatione præcedente, merentur de se pœnam, licet Deus ob suam clementiam illam non inferet: quia de se haberent, quantum sufficit, ut moueant Deum ad puniendum; ergo, & bona opera essent de se meritoria præmij, etiam sine promissione Dei; quia de se habent, quod sufficit, ut mouerent Deum ad præmiandum.

Ceterum, licet opera iusti de se habeant, quod sufficit ad merendum, atque idè mereantur in actu primo; Deus tamen, seclusa promissione, non teneretur ad reddendum præmium: & in hoc etiam omnes convenimus. Quare, promissio illa, quæ est quasi acceptatio antecedens, posita fuit liberè à Deo; atque ad id potuit poni propter Christum: quod indicare videtur Trident. sess. 6. cap. 16. in illis verbis: *Benè operantibus proponenda est vita æterna, tanquam gratia filijs Dei, & per Christum Iesum misericorditer promissa.*

Consequenter dicendum est, opera iusti ex se ante Dei promissionem, vel acceptationem habere valorem, & condignitatem ad redimendam pœnam temporalem purgatorij. Probatur ex dictis: quia, si ex se non haberent condignitatem; neque etiam haberent illam accedente Dei promissione, atque idè non satisfaceremus per illa opera de condigno, sed de congruo: sicut etiam de facto non meretur peccator per contritionem gratiam iustificationis de condigno, sed de congruo, etiam accedente infallibili Dei promissione: quia contritio de se non habet talem valorem, aut dignitatem; & promissio Dei non facit illam meliorem, aut digniorem. Similiter non satisfacimus de condigno, sed de congruo, per contritionem pro debito pœnæ æternæ, aut pro culpa mortali, etiam antecedente Dei promissione, & acceptatione, propter eandem rationem: sicut damnatus ad triremes non satisfaceret condignè pro pœna ieiunando vno die, licet accederet promissio, & acceptatio Iudicis.

Addo tamen vltimò, licet nostra opera habeant de se illum valorem, & dignitatem; non tamen expiant formaliter, & auferrent debitum pœnæ temporalis, si non accederet acceptatio Dei liberè acceptantis, atque idè hæc acceptatio de facto fuit propter Christum: illa autem acceptatione seclusa, iuste posset punire Deus, adhuc in Purgatorio, eum, qui pro suis peccatis ieiunia, vel alia opera pœnalia obtulisset. In hoc est controuersia de re cum P. Vasquez, qui licet id admittat in merito, negat tamen in ordine ad satisfactionem. Verum tamen, licet id verum sit, loquendo de satisfactione pro culpa: non tamen videtur verum de satisfactione pro debito pœnæ: quia, ut explicui disp. 3. de Incarnat. sect. 10. numer. 138. & seq. & disp. 5. sect. 7. n. 126. Iudex semper habet ius ad exigendam pœnam illam, quam ipse imponere velit, & non teneatur ad acceptandam illam, quam

X x 3 reus

reus imponere sibi voluerit, etiam si sit equalis, & fortasse maior, quia Iudicis, & non delinquentis est taxare, & determinare pœnam. Poterit ergo Princeps commutare vnam pœnam in aliam; quæ si fuerit equalis, per illam dicitur reus satisfecisse aqualiter debito prioris pœnæ; deficiente tamen Iudicis voluntate, vel acceptatione, quantumvis reus se aliis suppliciis voluntarie castiget, non manet liber à debito pœnæ per Iudicem taxatæ. Sicut, si quis debeat criticum, & soluat oleum valoris equalis; non tenetur creditor illud acceptare. Confirmarique potest: quia nec Adamus, nec nos per opera pœnalia, qualiacumque sint, satisfacere possumus pro debito carenti iustitiæ originali, vel moriendi, quæ est pœna debita ex peccato originali: quia, nimirum, Deus non vult acceptare vllam satisfactionem pro illa pœna. Sic etiam noluit acceptare vllam satisfactionem, vel pœnitentiam Davidis pro pœna, quam ei statuerat pro suo peccato, quod moreretur eius filius ex adulterio natus: non ergo extinguitur formaliter reatus pœnæ temporalis per solam satisfactionem ex parte nostra exhibitam, sine libera Dei acceptatione. Quod tamen in satisfactione pro culpa aliter dicendum est: quia ut dixi illa disp. 5. de Incarnat. sect. 7. n. 124. & segg. non potest offensa perferre moraliter in æstimatione pendendum, postquam offensio fecit, quantum sitis erat ad placandum offensum: tunc enim, si non placetur, æstimabitur irrationabiliter implacatus, & aduersus: quare eo ipso quod posita sit sufficiens satisfactio ex parte offensiois intelligitur ablata offensa, licet non acceptetur ab offenso: quia offensa habitualis ut, supra vidimus, est offendisse & non satisfecisse, nec condonari fuisse offensam: posita ergo ex parte sua satisfactione sufficiens, eo ipso tollitur ratio indignationis iustæ; non tamen ius ad pœnam; propter rationem supra adductam. Vide, quæ dixi dicta sect. 7. vbi obiectiones contra hanc conclusionem dissolui.

18. Addidi in conclusione, hanc acceptationem nostræ satisfactionis poni propter merita Christi: sic enim indicat Trident. sess. 14. cap. 8. vbi ait, nostras satisfactiones habere suam vim ex Christo. In quo (inquit) vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Vbi vides, intervenire merita Christi, non solum ut fiant nostræ satisfactiones; sed etiam ut acceptentur à Deo. Quod idem de flagellis patienter toleratis significat capite sequenti, dum dicit, tantam esse divinæ misericordie largitatem, ut non solum pœnis, sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, an Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflatis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus. Vbi vides, misericordie Dei per Christum tribui quoddam flagella Dei patienter tolerata acceptantur à Deo pro satisfactione ad expiandum debitum pœnæ. Ratio autem ex dictis est clara: quia, cum hæc acceptatio sit Deo libera, qui potuit non acceptare, sicut de facto pro aliquo debito pœnæ temporalis non acceptat; congruum erat, quod hoc etiam beneficium non aliter concederetur, nisi propter Christum, propter quem Deus remittit, & indulget omnia, quæ quolibet modo nobis remittuntur, & indulgentur.

19. Hinc infero, an dicendum sit, quod per opera bona iuste satisfaciatur, non solum de condigno, sed de rigore iustitiæ pro debito pœnæ tempora-

lis, prout affirmat Suarez cum aliis. De hoc dixi latè disp. 3. de Incarnat. sect. 10. per totam, quæ videri potest: est enim quæstio ferè de nomine, suppositis, quæ dicta sunt, nam si fermo sit de iustitiæ commutativa, hæc non habet locum in Deo qui obligari non potest nobis ex iustitiæ commutativa, ut latè probavi illa disp. 3. ferè per totam; neque etiam nos debemus pœnam ex iustitiæ commutativa. Sermo ergo debet esse de iustitiæ vindicativa, seu punitiva. In quo sensu distinguendum est. Satisfacit iustus de rigore iustitiæ, quoad æqualitatem solutionis; concedo: nam revera solvit aliquid, quod moraliter æquivaleret pœnæ debite. Satisfacit de rigore iustitiæ, quoad modum solutionis: nego: quia necessarius fuit, ut dixi, fuor ex parte Iudicis, ut acceptaret nostra opera in satisfactionem, cum posset exigere pœnam à se ipso exigendam, ut dictum est. Poterit ergo dici simpliciter, & absolute, quod, posuit. Dei acceptatione, homo iustus suis operibus satisfacit de rigore iustitiæ, nempe vindicativæ, quæ communiter appellari solet iustitiæ.

DVBIVM INCIDENTS.

An possit homo aliter, quam per condignam satisfactionem, liberari à debito pœnæ, per impetrationem, vel merita congrua.

Non loquimur de Indulgentiis, & Sacramentis, per quorum aliqua, sicut & per Sacrificium applicatur nobis satisfactio Christi, & extinguitur reatus pœnæ ex opere operato, sed loquimur de via impetrationis, vel sanctificationis congruæ. Pater Suarez in præfati, disp. 37. sect. 10. respondet negativè: quia non videtur consonum divinæ iustitiæ, ut peccata maneant impunita.

Pars affirmans verior mihi videtur, quam licet in terminis non doceant expresse auctores, docent tamen illam in simili ferè puncto, dum dicunt, posse nos aliquando sine satisfactione impetrare precibus remissionem pœnæ alicui defuncto, quod docent Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 16. quest. 5. Navarrus in Comment. de Iubileo, notat. 22. n. 15. Durand. in 4. dist. 41. quest. 1. n. 6. & alij, quos affert Suarez infra disp. 48. sect. 5. n. 4. vbi n. 5. eam sententiam facit esse piam, & probabilem, & simul facit, facilius posse aliquem sibi metipsum impetrare, quam alteri. Vnde, si probabile, & pius est, quod possimus absque satisfactione impetrare aliquando expiationem reatus pœnæ animabus Purgatorii, probabilius erit, vel æquè probabile, quod id possimus aliquando nobis obtinere.

Porro, posse aliquando orationibus obtineri remissionem pœnæ alicuius defuncti, colligi videtur primò quia B. Virgo Deipara, & alij Sancti orant pro defunctis: vnde Ecclesia petit sæpè, ut Beata Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis, suorum delictorum veniam consequantur. ad quod confirmandum adduci possunt relationes aliquæ, quibus constare dicitur, B. Virginem liberare sæpè suos devotos ex Purgatorii pœnis. Quod etiam de B. Lutzgard tradit Surius quoddam moriens tulit secum in cælum animas aliquas suis precibus à Purgatorio liberatas. Secundò, quia Christus Dominus descendens ad inferos liberavit plures animas à Purgatorio, quæ nondum planè debitas pœnas exsoluerant, ut tradunt communiter Theologi cum S. Thom. supra, questione 52. num. 8. vbi Suarez id probat. Tertiò, Ecclesia in officio defunctorum sæpius petit, ut Deus

SECTIO II.

An, & quomodo requiratur status gratie ad satisfactionem de condigno.

Non defuerunt, qui dicerent, etiam in statu peccati posse hominem satisfacere pro peccata temporalis debita pro peccatis iam prius quoad culpam remissis. Scotus, Maior, Gabriel, Medina, & Nauarrus apud Suarez *in presenti*, disp. 37. sect. 2. n. 2. Quod Scotus probat: quia, qui propter delictum meretur abscissionem manus, si manus ei abscindatur, etiam si non sit in gratia Regis, satisfecit debito poenae. Ex hoc tamen argumento colligi videtur, quod Scotus confundat satisfactionem cum satisfatione: ille enim proprie non satisfacit, sed satisfatur: nunc autem loquimur de satisfatione proprie dicta.

Communis ergo Theologorum sententia cum Sancto Thom. *in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. quasi. 2.* negat, peccatorem posse proprie satisfacere. Ita Alex. Bonaventura, Durand, Richard, Palud, Ledesma, Maior, Henricus, Caiet, Adrianus, uterque Soto, quos referunt & sequuntur Suarez loco citato, & Vasquez *quasi. 94. art. 1. dub. 4.* & alij omnes Recentiores. Probatur primò ex Tridentino *sess. 14. cap. 8.* vbi de operibus satisfactoriis dicitur, esse in Christo, & ex Christo, *ut omnia gloriatio nostra in ipso sit, in quo viuimus, in quo mouemur, satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a patre.* Quibus verbis indicatur, vim satisfaciendi nostrorum operum inde provenire, quod dum fiunt, in Christo viuimus, & mouemur: quod proprium est hominis iusti: nam peccator non viuit in Christo.

Secundò probatur ratione: quia satisfactio, licet non sit meritum formaliter; imitatur tamen rationem meriti: quia, sicut peccator, & inimicus Dei, dum manet inimicus, non potest mereri condignè: quia non placet Deo, & ideo non possunt eius opera esse Deo accepta ad primum, sic nec possunt esse accepta ad placandum Deum pro poena debita, quae placatio est, quasi quaedam retributio pro castigatione voluntaria, quam homo exhibet, & offert Deo: qui enim non potest esse dignus retributione, & pramio, propter inimiciam permanentem; non potest etiam esse dignus ut acceptetur eius castigatio voluntaria ad compensandam poenam aliunde debitam. Vnde constat responsio ad fundamentum, & exemplum Scoti, in quo non agitur de acceptatione, & compensatione; sed ponitur ipsa poena infligta à Principe. An verò possit in eo statu peccator satisfari, & soluere poenam debitam, eamque extinguere, diximus latè *suprà disp. decima, sect. 2.*

Hinc infero, opera illa facta in peccato mortali non reuiuiscere adueniente gratia ad effectum satisfationis: quia, sicut non reuiuiscunt in ordine ad meritum, eò quod non placuerunt Deo ex indignitate personae; sic non possunt condignè reuiuiscere ad effectum sanctificationis propter eundem defectum, ut probat Vasquez *vbi supra n. 8.* & Suarez *dicta sect. 2. num. 7.* vbi explicant Sanctum Thomam distinguendum de operibus, quae relinquunt effectum permanentem, ut ex elemosyna remanet earentia pecuniae, & ex ieiunio corporis debilitas: & de illis, quae non relinquunt talem effectum, dicunt enim, Sanctum Thomam solum velle, quod prioris generis opera facta in

xx 4 peccato

Deus condonet poenas debitas animabus in Purgatorio existentibus. Quartò, Confessarius potest poenitenti praecipere, ut oret pro defunctis, ut traditur in Catechismo Romano in Sacramento Poenitentiae, n. 80. quo casu non iubetur poenitens abdicare à se satisfactionem, imò iubetur pro se satisfacere, cum hoc ei in satisfactionem pro suis peccatis iniungatur: ergo solum iubetur orare ad impetrandam defunctis poenae remissionem. Vnde ad fundamentum Suatij responderetur facile, illa peccata non manere tunc impunita, sed satisfieri plenè diuinæ iustitiae, applicando satisfationes Christi pro poena, quam nos debeamus soluere: quae applicatio obtineri potest aliquando per orationes. Sicut nec manent impunita peccata, quando poena pro iis debita remittitur per Indulgentias, aut Sacramenta, vel Sacrificia: quia tunc etiam satisfationes Christi applicantur, quibus soluitur plenissimè totum debitum.

Obiicit Suarez *dicta sect. 10. n. 4.* Augustinum *Serm. 60. de tempore*, vbi per illa verba Ecclesiastici 21. *Elli, peccasti: ne adicias iterum: & de pristinis deprecare, vbi tibi dimittantur.* Sic ait: *Sed quid proderit deprecari, si te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos poenitentiae, ut tamquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris: Si ergo exaudiri vultis, cum deprecamini pro peccatis vestris, dimittite, vbi dimittatur vobis.* Vbi videtur ultra deprecationem exigere fructus dignos poenitentiae. Sed August. ibi clarè loquitur de remissione culpae de qua faciemur, non posse haberi immediatè per meram impetrationem sine poenitentia, & aliis requisitis.

Dices: Si potest impetrari remissio poenae temporalis absque satisfatione condigna, cur non poterit etiam impetrari immediatè augmentum aliquod gratiae absque merito condigno? Respondetur, retorquendo argumentum: non enim arguitur bene: Non possumus impetrare immediatè augmentum gratiae: ergo neque vllum aliud Dei beneficium: cur ergo arguetur bene ex illo antecedenti, quod nec remissionem poenae temporalis possumus impetrare? imò cum alia beneficia praeter gratiam possumus immediatè impetrare, cur non poterimus remissionem poenae, quae non est beneficium excellentius aliis, quae impetrari possunt? Ratio autem, cur gratia non obtineatur immediatè per impetrationem, illa esse potuit, quod cum gratia sit immediata mensura gloriae; oportuit, hanc mensuram certam esse, & communem omnibus regulam praefiniri obtinendi gratiam, ne aliqua quaelibet species posset suboriri, si haberet maiorem gloriam, qui minorem meruisset: pertinet enim ad Superiorem, aequalem se exhibere in praemij distributionem; idè omnibus proposuit Deus communem regulam obtinendi, & augendi gratiam, nempe, bona merita, & Sacramenta. In aliis verò inferioribus beneficiis potest saepe propter preces Superior dare immediatè huic, vel illi, prout voluerit.

Dices iterum: Ergo ipsamet anima Purgatorii poterunt sibi aliquid interpretare remissionem poenae. Respondetur primò, consequentiam non esse legitimam, cum anima illa, ratione status punitionis, quem habent, parum, aut nihil possint sibi impetrare. Respondetur secundò, ipsummet Suarez tandem *tom. 2. de relig. lib. 1. de orat. c. 11.* id concessisse, vbi ait, animas illas orare, ut per applicationem satisfationis Christi condonetur sibi aliqua poenae debita pars: quid ergo mirum, si Deus eas aliquando exaudiat?

Peccator non potest proprie satisfacere.

25. Conc. Trid.

26. Non reuiuiscunt ad satisfationem opera facta in peccato.

peccato possint postea prodesse, quatenus adueniente gratia potest per nouam voluntatem acceptari effectus ille relictus, & offerri Deo.

27. *An crescat valor satisfactionis ex maiori gratia.*
Circâ conclusionem propositam, aliqua dubia occurrunt. Primum est, an valor satisfactionis crescat pro maiori gratia, quam homo habet. Hæc quæstio coincidit ferè cum illa alia, an valor meriti crescat pro maiori pretio, de qua dixi latè *disp. 6. de Incarnat. sect. 2. vbi* sententiam affirmantem amplexus sum: quare consequenter idem dicendum est in ordine ad satisfactionem, cum ad illam attendi etiam debeat dignitas subiecti, vt fatetur Suarez in *presenti, disp. 37. sect. 6. num. 9.* Vnde, sicut ibi probauimus maiorem meriti valorem in homine magis grato, argumento desumpto ex meritis Christi Domini quorum valor fuit infinitus propter excellentiam personæ operantis: sic eodem argumento possumus maiorem valorem satisfactionis probare: quia opera Christi non solum in ratione meriti, sed etiam in ratione satisfactionis habuerunt valorem infinitum, qui non proueniebat præcisè ex honestate operum quæ tota erat finita, & limitata; sed ex dignitate personæ satisfaciendæ: ergo, quo maior fuerit hæc dignitas, & excellentia in homine iusto; eò maior etiam erit valor operis satisfactorij, cæteris paribus.

28. Adde tertiam rationem; nam, licet valor meriti non cresceret ex maiori gratia: in satisfactione tamen esset peculiaris ratio ad id asserendum: quia eadem pœna inflicta viro nobilitati, æstimatur moraliter pœna grauior, quàm inflicta homini ignobili: vnde pro eodem delicto minori pœna punitur Marchio, aut Dux, quàm alius nobilis inferioris notæ; & hic etiam minori, quàm plebeius: quia exilium Principis grauior pœna æstimatur, quàm verberatio plebei; ergo & castigatio carnis in homine sanctiori habente gratiam vt 100. æstimabitur maior pœna, & grauior castigatio, quàm in alio iusto habente gratiam, vt quatuor: quia excellentior, ac illustrior persona castigatur; atque adeo sufficit ad soluendum pro pluribus peccatis, vel grauioribus cum moraliter si maior satisfactio.

29. *Quo tempore requiratur gratia.*
Secundò tamen dubitari potest, an hic valor satisfactionis crescat ex gratia, quam homo habet eo tempore, quo vult pati, & ieiunare, v. g. an ex illa, quam habet postea, quando re ipsa ieiunat, & patitur. Respondetur, veramque gratiam attendi debere. Primam quidem, quia gratia illa dignificat voluntatem ieiunandi, & facit illam esse magis satisfactoriam. Secundam verò, quia illa maior gratia facit quod pœna sit grauior, eò quod castigetur homo excellentior, & sanctior, cuius castigatio, cæteris paribus, æstimatur grauior punitio, vt dicebamus, atque adeo additur valor satisfactionis.

30. *Ieiunium in peccato voluntarium, & postea in gratia suscipiendum, & perfectum, an de condigno satisfaciatur.*
Tertio dubitabis, an si aliquis, cum esset adhuc in peccato, voluit ieiunare, & postea in gratia ieiunet, satisfaciatur de condigno per illud ieiunium. Non est dubium si habuit nouam voluntatem, postquam est in gratia: quando verò nullam aliam voluntatem nouam habuit, sed ieiunauit ex vi prioris voluntatis, quam habuit, dum esset in peccato; videtur ex proximè dictis, quod possit ieiunium dignificari à gratia iam posita: diximus enim, illam posse augere valorem illius satisfactionis, ergo poterit etiam illum valorem dare. Respondetur tamen, si noua voluntas non superueniat, non esse satisfactorium, illud ieiunium: quia, vt sit opus satisfactorium, debet procedere ab homine iusto: illud autem ieiunium non pro-

cedit ab homine iusto, sed à peccatore: cum procedat solum ab homine per illam priorem voluntatem, quam habuit, dum esset adhuc in peccato. Potest ergo à maiori gratia postea superueniente dignificari, vt sit maior satisfactio; quatenus castigatio, & pœna hominis nobilitatis æstimatur moraliter maior pœna: non tamen potest solum ab illa gratia de nouo adueniente dignificari, vt sit satisfactio simpliciter: quia hoc habet ex eo, quod sit castigatio voluntarie assumpta ab homine iusto, qualis non est illa, cum non procedat à voluntate hominis iusti; sed hominis peccatoris. E contra verò, si erat in gratia, quando voluit ieiunare, postea verò cum ex vi illius voluntatis ieiunat, si in peccato; satisfecit quidem per priorem voluntatem: non tamen satisfecit, quando ieiunat: quia status peccati, & inimicitia cum Deo impedit omnem valorem, quem ieiunium posset habere à voluntate bona præterita hominis iusti, à qua procedit.

Quarto dubitari potest, an hæc conditio gratiæ habitualis sit ad eam necessariam ad satisfaciendum, vt si homo creatus fuisset in statu naturæ puræ, non potuisset suis operibus satisfacere pro vilo debito pœnæ temporalis. Respondetur, nunc de facto omnem satisfactionem prouenire ex gratia: quia de facto cum omnis ablatio pœnæ temporalis connexionem habeat cum ademptione salutis æternæ; noluit Deus acceptare aliud satisfactionis genus, nisi quod pertinet ad eundem gratiæ ordinem. Si verò homo creatus fuisset in natura pura, & solum in ordine ad finem naturalem; sicut tunc potuisset mereri de congruo remissionem peccati venialis, imò & satisfacere de condigno pro eius culpa, vt dixi *disp. 5. de incarnat. sect. 7. si* non potentia moralis, saltem physica: sic posset satisfacere de condigno, pro aliqua saltem exigua parte pœnæ temporalis vt dixi in eodem loco, n. 132. Ad quod requireretur iustitia, & rectitudo naturalis, quæ tunc esset possibilis: nam, si esset in peccato, mortali, non est dubium, quod non posset satisfacere tunc homo de condigno pro aliquo debito pœnæ temporalis.

SECTIO III.

An satisfactio requirat opus honestum liberum pœnale, & ex intentione faciendi.

31. *Quod attinet ad primum, certum est apud omnes, requiri, quod satisfactio sit, vel procedat ex actu bono, & honesto, vt cum aliis tradit Suarez *disp. 37. sect. 3. n. 2.* quomodo enim placbitur condignè Deus, & ex opere operantis per opus, quod ei displicet, vel certe non placet. Vnde aliqui inferunt satisfactionem sacramentalem positam ex malo fine, vel sine actu bono, licet valeat ad implendum præceptum Confessarij, non valere ad fructum satisfactionis: quia, vt elenari possit ad satisfaciendum ex opere operato, debet esse in se satisfactio, qualis non est, si sit actio peccaminosa: nam Confessarij eleuat per clauas satisfactionem pœnitentis, vt habeat effectum maiorem ex opere operato: debet tamen supponi opus in se satisfactorium. Hoc tamen videtur nimis rigidum, vt dicam *disp. seq. sect. 3. in fine.**

Dubitari potest, vtrum maior bonitas voluntatis, ex qua procedit castigatio, augeat valorem satisfactionis, ita vt plus satisfaciatur in flagellatio, vel elemosyna procedens ex actu voluntatis honesto, vt octo, quàm idem opus procedens ex voluntate

luntate honesta, vt quatuor. Ratio dubitandi esse potest, quia ad meritum consideratur difficultas actus; ad satisfactionem verò penalitas, vt dixit S. Thomas in 4. diff. 15. qu. 1. art. 4. ergo non crescente penalitate, non crescit satisfactio in ratione satisfactionis; sed solum in ratione meriti.

Respondetur tamen affirmatiue: quod fatetur etiam Suarez in presenti. sect. 6. num. 9. Et probari potest ex dictis. Primum, quia opus non satisfacit solum vt penale, sed etiam vt honestum ita vt deficiente honestate, non sit satisfactorium: ergo crescente honestate, crescere etiam debet efficacia ad satisfaciendum. Quod exemplis ostendi potest: nam professio religiosa, v. g. teste Sancto Thoma 2. 2. quæst. 189. artic. 3. ad 3. affert secum expiationem totius peccatorum temporalis debita; & hoc quidem ex opere operantis, teste eodem in 4. diff. 4. quæst. 3. ad finem, nempe, propter excellentiam actionis, vt colligitur ex cap. Admonere 33. quæst. 2. & tamen non habet ille actus multum penalitatis formaliter. Item, elemosyna est magis satisfactoria, quam ieiunium, iuxta communem Theologorum doctrinam, licet maiorem penalitatem afferat ieiunium: ergo maior bonitas reddit actum magis satisfactorium. Ratio denique est: quia castigatio, vt diximus, non placet, nisi vt informata affectu, quo peccator vult se laudabiliter castigare: ergo quo laudabilius vult, eò magis placeat, crescente forma, à qua habet eiusmodi activitatem placandi.

Hinc sequitur, debere opus satisfactorium esse liberum, saltem denominatiue, quatenus procedit saltem ab effectu libero: non enim posset procedere ab effectu honesto; nisi procederet ab effectu libero: cum libertas sit de essentia actus moralis honesti, vel inhonesti. Circa hoc tamen dubitari solet, an possimus satisfacere per opus necessarium necessitate præcepti.

§. 1. An per opera præcepta possit homo satisfacere pro pena temporalis.

Non pauci negant, Palud. Syluester, Maior, Gabr. Antoninus, apud Vasquez in presenti, dub. 6. num. 1. ex quibus Syluester, & Antoninus dixerunt, operibus debitis ex præcepto positivo posse satisfieri; non verò debitis ex præcepto naturali. Ratio præcipua est, quia non potest duplici debito diuerso vnica solutione satisfieri.

Communis sententia, & verissima affirmat: Ledesma, vterque Soto, Adrianus, Caiet. Ioan. Medina, & alij, quos referunt, & sequuntur Vasquez ibi, num. 2. & Suarez in presenti, sect. 4. Et quidem stante doctrina Concilij Tridentini, contraria sententia non videtur posse vlla ratione sustineri: nam Tridentinum sess. 6. cap. 10. & 16. definiuit, iis operibus, quibus diuina lex obseruatur, mereri hominem iustum augmentum gratiæ: vnde non apparet, cur non habeant ea opera vim purgandi debitum peccatorum, sicut habent vim nouum ius comparandi ad nouum præmium. Rursus idem Concilium sess. 14. c. 9. & can. 13. definit, per flagella à Deo immitti, & patienter tolerata, hominem iustum satisfacere pro debito peccatorum: minus autem videbatur posse satisfieri per hæc, quibus homo non cooperatur, quam per flagella ab ipso homine inflicta ex præcepto. Vnde retorqueri potest argumentum contrariæ sententiæ: quia, si aliquis debeat alteri tres mensuras terræ, v. g. non satisfacit huic debito, si casu vel fluminis alluione creditoris fundo accreuerint totidem terræ mensuræ ex suo fundo; sed debet dare alius tres: quia quod necessi-

tate perdit, non cedit in solutionem debiti; & tamen flagellis, & infirmitatibus, necessitate naturæ prouenientibus, homo satisfacit pro debito peccatorum, si patienter toleret: ergo in hoc genere satisfactionis non est obseruanda regula eadem; quæ seruatur in solutione debiti ex iustitia.

Secundò hoc ipsum probatur: quia ille, qui fidei non negatæ causa patitur tormenta, excellentissimo modo satisfacit pro debito suæ peccatorum: & tamen ille sustinet ex præcepto diuino, & naturali tormenta illa ob fidei commissionem. Tertio, quia ad hunc ipsum finem, vt pro peccatis satisfaciamus, præcipit Ecclesia ieiunia, & alias corporis castigationes: ergo præceptum non impedit, quòd opere possimus satisfacere. Quarto, quia ad hunc ipsum finem Confessarius præcipit opera satisfactoria, quæ non idè, quia præcipiuntur à Confessario, desinunt esse satisfactoria, imò quia satisfactoria sunt, eleuantur per clanes ad maiorem satisfactionem ex opere operato. Denique, quia tota condignitas satisfactionis fundatur, vt diximus, in eo, quòd homo laudabiliter se castigans, eo ipso, placat iram iudicis, nec illum iterum puniat: ille autem, qui ex præcepto se castigat, non minus, sed magis laudabiliter se castigat: non enim minus, sed potius magis honestum, & laudabile est, ceteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quam absque illo: ergo magis placet Deo, & per consequens magis placat illum eiusmodi castigatio per opera præcepta, quam per spontanea.

Ad fundamentum verò contrariæ sententiæ respondetur, posse nos vnica solutione pluribus debitis satisfacere, quoties illa ex peculiari conditione non ordinantur ad res diuersas. Hinc est, vt qui ex voto debere calicem Ecclesiæ, si accedat præceptum Superioris de calice eodem dando, satisfaciit debito voti, & obedientiæ dando vnum calicem. Item, si ex voto debes ieiunare omnibus sextis feriis, & Confessarius præcipiat ieiunare vna sexta feria, satisfaciit vtrique debito: & sic de alijs. Quando verò debita respiciunt res diuersas, non satisfaciit, vt si debebas viginti Petro, & rursus fueris ei alia viginti; non satisfaciis reddendo viginti: quia ille habet minus in bonis quadraginta; & debes ponere æqualitatem faciendo, quòd nihil minus habeat, quam debere habere. Hinc est, si Confessarius imponat, vt audias Missam, debes audire aliam præter Missam debitam ex præcepto, quia hæc est intentio Confessarii: si tamen ipse veller, posset præcipere solum illum, quam ex præcepto debebas, vt infra videbimus. Similiter, si ex voto debes Calicem Ecclesiæ, & rursus ex testamento debeas calicem eidem Ecclesiæ legatum, debes dare duos: quia votum fuit donandi calicem: illum autem, quem ex testamento darès, non donas, sed soluis. Cum ergo debitum peccatorum non sit patiendi sine præcepto, imò regulariter peccata ipsa soleat præcipi; non est, cur per opera præcepta non possit expleri obligatio patiendi, præsertim cum hæc non tam sit debitum actuum, quam passiuum; & satisfactio non tam sit solutio debiti, quam placatio condigna per voluntariam castigationem liberè susceptam. Alia argumenta leniora contra hanc conclusionem videri possunt apud Suarez &

Vasquez locis supra citatis.

S. 2. *Utrum per sola opera pœnalia possimus satisfacere.*

37.

Prima sententia negat, quam tenent Victorius in *Summa*, n. 102. Soto, Ledesma, & Ioan. Medina, quos affert, & sequitur Valquez *disto art. 1. dub. 5. n. 3.* qui affert etiam Scotum, & Gabrielem. Sed eos paulo aliter sentire probat Suarez *disp. 37. sect. 6. n. 1. & 3.* Contraria sententia communis est, quam tenet Sanctus Thomas *dist. 15. quæst. 1. art. 5. quæstionum. 1.* Bonavent. Richard. Durand. Palud. Maior, Alenf. Adrian. Sylvester, Viguerius, & alij, quos refert, & sequitur Suarez *ibi num. 2.*

Conc. Trid.

Dico primò, si esset opus honestum nullo modo pœnale, non videretur, quòd esset satisfactorium de condigno pro debito pœnæ. Hæc est iuxta secundam sententiam, & videtur colligi ex modo loquendi Concilij Tridentini, qui semper satisfactionem fieri dicit per opera pœnalia, & laboriosa: sic enim loquitur *sess. 14. cap. 8.* dum primò inter alias rationes, quibus necessitatem, & utilitatem satisfactionis probat, hæc affert: *Quia magis opere à peccato reuocant, & quasi frano quodam coercent hæc satisfactoria pœna.* Vbi opera satisfactoria vocat satisfactoria pœnas. Addit postea secundò aliam rationem: quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis; Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur. Vbi supponit satisfactionem, non nisi patiendo fieri. Addit tertio, aliam rationem similem: *Certissima arrhe, quòd si patimur, & conglorificabimur.* Quarto vocant ea opera dignos fructus pœnitentiæ. Quintò docet satisfactionem à Sacerdote imponi debere aptam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Vnde *can. 15.* illas satisfactiones à Confessario impositas appellat pœnas. Et *can. 13.* solum diffinit, *Deo per Christi merita* satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis; aut sponte susceptis, viciuniis, orationibus, elemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus: de quibus dicit satisfacere, & pœnarum nomine comprehendendi. Vnde Catechismo Romano, eiusdem Tridentini iussu edito, in *explicatione Sacramenti pœnitentiæ, num. 74.* expressè exigitur ad satisfactionem, quod opus pœnale sit.

38.

Ratione item probatur. Primò ex fundamento contrario aduersus id, quod supponit P. Valquez, qui suam sententiam probat ex eo, quòd omne opus honestum, etiam si pœnale non sit, meretur vitam æternam: ergo & merebitur ablationem impeditenti, quod est reatus pœnæ temporis. Nos autem diximus sæpè, satisfactionem, vt satisfactio est, non esse meritum: quia, si hoc esset, ablatio pœnæ temporalis computaretur pro parte præmij correspondentis merito; atque idèd decrederet ex præmio gratiæ, & gloriæ; quod falsum est: quia tota virtus, & actiuitas operis exhauritur in ordine ad merendam gratiam, & gloriæ; & idèd non potest mereri de condigno bona temporalia; quia præmiaretur vltra condignum, cum iam rotus eius valor, & dignitas adæquatè sit remunerata per aliud præmium.

39.

Respondet Pater Valquez *num. 4.* remissionem pœnæ temporalis ordinari ad consequitionem gloriæ; & idèd posse idem meritum extendi ad vtrumque præmium. Sed hanc responsionem impugnat Suarez *num. 1.* quia non omne, quod auget gratiam, & ius ad gloriam, auferit, vel diminuit reatum pœnæ temporalis: nam aliqua Sacramenta

augent gratiam, quin remittant ex opere operato pœnam temporalem: ergo ex eo, quòd bona opera afferant ius ad maiorem gloriam, non sequitur, quòd debeant afferre ablationem impeditenti temporalis ad gloriam. Adde, licet reatus impediatur gloriæ possessionem, statim post mortem, non tamen impedit id, ad quod merita dant ius: nam merita non dant ius ad gloriam statim post mortem habendam; sed ad gloriam post purgationem animam ab omni reatu pœnæ: ergo ille reatus non impedit præmium meritorum; nec eius ablatio est necessaria ad ponendum id, quòd præmia merentur. Vnde negari non potest, esse maius præmium gloriæ, & accelerationem gloriæ, quam gloriam solam sine acceleratione: ergo maior valor requiritur ad merendum vtrumque simul per modum meriti.

Secundò probari potest hoc ipsum: quia in merito opus externum non auget eius valorem, nec præmium, si actus internus non augeatur, vel magis perficeretur, vt concedit ipse Valquez cum communi sententia: in satisfactione autem opus ipsum externum auget eius valorem, vt videbimus *sess. seq.* ergo satisfacere formaliter non est mereri, & per consequens non attenditur solum ad laudabilitatem, sed ad passionem laudabilem, quæ non esset in opere nullo modo pœnali.

Denique ratio à priori est: quia satisfactio pro debito pœnæ, vt diximus, fit, quatenus æquum est, vt qui præuenit Iudicis officium, & sponte sua seipsum castigauit, non iterum à Iudice puniatur, cum iam punitum inueniat: hoc autem totum supponit pœnalitatem, afflictionem, punitorem in opere satisfactorio, vt constat: ergo si non esset pœnale, non fundaret talem condignitatem, & æquitatem per modum satisfactionis, sed solum per modum meriti, quod ad rem non est.

Dico tamen secundò: De facto omnis nostra operatio meritoria est simul satisfactoria: quia omnis de facto pœnalis est: & sicut omnis satisfactio est simul meritoria, quia debet procedere ex actione laudabili, & honesta, vt diximus, sic etiam contra omnis actio meritoria est satisfactoria, quia affert secundum aliquam pœnalitatem. In hoc etiam conuenit Pater Suarez *n. 8.* cum alijs, quos affert, & hoc pacto possunt de facto conciliari illæ duæ sententiæ, cum de facto verum sit vtrumque, nempe, omne opus bonum esse satisfactorium, & omne opus satisfactorium esse pœnale: quod indicat etiam videtur Tridentinum *illo can. 13.* vbi opera satisfactoria vocauit pœnas; & statim addit, *satisfactionem ieiunijs, orationibus, elemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus.* Quibus verbis omnia bona opera comprehendisse videtur, quasi omnia apta sint ad satisfaciendum, prout reuera sunt, atque idèd nullum est opus honestum, quòd Confessorius non possit in pœnitentiam, & satisfactionem imponere, si pœnitens illud acceptet: quod certè facere non posset, nisi omnia ex se apta essent ad satisfaciendum.

Ratio autem à priori est, quia nullum est opus honestum, quod non aduersetur alicui bono, vel delectabili, vel utili, vel afferat aliquod malum secundum, alioquin non esset liberum, si esset merum bonum ex parte obiecti, & in exercitio ipsius actus: affert ergo semper aliquid difficultatis vincendæ: quod quidem etiam in iis operibus, quæ maximè videntur esse iuxta propensionem naturæ, locum habet: nam, licet in manducatione, aut potu, verbi gratia, non sit difficultas homini famelico, aut sitibundo; in ipsa tamen reificatione intentionis difficultas maxima est. Vnde

SECTIO IV.

*Virum actus, seu passio externa, addat satisfac-
tionem supra actum internum.*

Vnde Augustinus ita vniuersaliter ausus est dicere, infideles nullum prorsus opus bonum fecisse; quia, nimirum, vel ex parte obiecti, vel saltem ex parte intentionis erat aliquis defectus: quod saltem regulariter verum erat, vt dixi in *trakt. de gratia*. Negari enim non potest, quod sit difficile, etiam eiusmodi obiecta delectabilia, & facilia non amplecti propter eorum delectationem; sed propter finem honestum, & eleuatum: semper ergo vincitur aliqua repugnantia, quæ, licet in homine spiritali, & seruente minor, vel nulla appareat: id tamen non tollit penalitatem operis: sed indicat feruorem, & desiderium patienti, quo de ipsa passione, & penalitate gaudet: nam, qui cum exultatione se verberat, & cruciat, negari non potest, quod patiatur, & puniat se: sic, qui ex seruente Dei amore opes, ac voluptates relinquit, verè patitur, licet cum gaudio propter amoris vehementiam: quia verè priuat se aliquo bono æstimabili secundum præsentem statum, vt notauit Catechismus Romanus *disto n. 74*.

Dices: Ergo, si duo assumant æqualem penam, & faciant opus æquè penale, vterque æquè satisfaciatur, licet voluntas vnius melior sit ex motiuo, vel ex alio capite. Respondetur, negando sequelam: quia, licet opus satisfactorium debeat esse penale: eius tamen dignitas non defumitur, vt diximus, ex mera pœna: sed ex pœna laudabiliter accepta: vnde, quò maior fuerit pœna, vel etiam quò magis laudabiliter accipiatur: eò magis aptum erit opus ad satisfaciendum, cum crescat, ex aliquo saltem capite, motiuum aptum ad placandum Iudicem, & impediendam punitionem.

§. 3. Non requiri intentionem satisfaciendi.

Volunt aliqui, satisfactionem debere procedere ex intentione satisfaciendi. Ita indicat Henricus *quodlib. 4. quest. 18*. Alij apud Suarez *sect. 3. num. 5*, dicunt, absque ea intentione, licet ex parte operantis non sit, quod requiritur, Deum ex sua benignitate remittere aliquam penam. Ratio verò huius requisiti est: quia absque ea intentione non datur actus iustitiæ vindictiue, nec solutio debiti: sicut, si debeas decem Petro, & absque animo soluendi totidem ei dones, non soluis debitum, licet Petrus ex sua benignitate possit illud remittere.

Contra sententia vera, & communis est, quam tenet Suarez *illo num. 5*. Ratio autem defumitur ex merito, in quo non requiritur intentio præmij ad merendum illud: imò quò magis liberaliter, & absque intuitu lucri aliquis Deum diligit, eo magis præmium meretur: quia valor meriti fundatur in æquitate, quæ exigit, vt qui benè operatur, laudetur, & præmieretur. Sic ergo satisfactionis valor non fundatur in contractu, vel intentione soluendi: sed in æquitate, quæ exigit, vt qui propter Deum, vel propter iustitiam, laudabiliter iam, & voluntariè passus est: non iterum affligatur, & puniatur. Vnde, similiter propter Regem se mortis periculo exposuit, vt Regem à periculo eriperet, & in captiuitatem, venit non cogetur postea in patriam reuertere vincula, & penam pati propter delictum antea commissum, etiam si egestia illa facinora satisfaciendi causa non fecerit, sed Principis amore.

* * *

Questio similis tractari solet in materia de merito, an, qui dat elemosynam, mereatur plus, quam qui illam efficaciter vult dare, & propter defectum pecuniæ eam non dat, si voluntas interior vtriusque sit æqualis, & æquè bona. Sic nunc quaerimus, an qui ieiunat, magis satisfaciatur, quam qui vult ieiunare, & non potest, si actus interni sint æquales in vtroque. Ratio autem dubitandi oritur ex illo exemplo meriti, in quo communis, & verior sententia negat, opus externum addere meritum, aut demeritum supra actum internum: quare idem dicendum videtur de satisfactione, cum Deus in vtroque casu cor intueatur, & affectum, & in vtroque voluntas debeat coram Deo pro facto reputari.

Cæterum, quidquid sit de merito, loquendo tamen de satisfactione, verius existimo, eam augeri etiam per opus, aut passionem externam, atque idè plus extingui ex reatu pœnæ ieiunanti, quam volenti ieiunare, si quoad actum internum sint pares. Hanc docet etiam Suarez in *presenti, sessione 5. Coninch in presenti, disput. 10. dub. 4. num. 26*. & alij communiter. Ratio autem sumitur ex *suprà* dictis: fundatur enim æquitas satisfactionis in hoc, quod æquum sit, non puniri iterum eum, qui iam seipsum voluntariè castigauit: castigatio autem voluntaria includit & voluntatem, & castigationem ipsam, quare plus se castigauit, qui ieiunauit, quam qui voluit ieiunare: hic enim, licet voluerit æquè se castigare: re tamen ipsa non se æquè castigauit: ergo non est æquale fundamentum æquitatis, vt non iterum castigetur: nam plus mali patitur, qui ieiunat, aut verbera sustinet, quam qui voluntatem solam habuit. Rationem autem discriminis à merito designabimus *inferius* contra aliquos, qui hoc exemplo satisfactionis probare contendunt, idem dicendum esse de merito.

Prius tamen examinare oportet aliud dubium circa hanc conclusionem: nempe, an ita augeatur satisfactio per opus externum, vt ad hoc non sit necesse quod perseveret physicè voluntas interna: sed solum, quod opus externum ex voluntate bona præcedenti procedat. In quo puncto Patet Suarez in variis locis variè, & non satis clarè videtur loqui. Nam in *presenti, disp. 37. sect. 6. num. 7*, videtur non requirere talem permanentiam voluntatis: sic enim ait: *Aduertendum verò est, (quia diximus, P. Suarez, actiones externas posse interdum augere satisfactionem,) accidere posse, vt externa actio fiat ex vi præcedenti voluntatis, licet actus interior non durer: & tunc potest durare satisfactio, licet non durer actuale meritum: necessarium tamen est, vt talis satisfactio procedat aliquo modo ex voluntate meritoria, & sic intelligenda est hac conclusio. Exemplum facile esse potest in elemosyna, qua fit per famulum, vel legatum. Idem extendit ad flagella aliunde prouenientia, & patienter tolerata, de quibus poterat esse maior difficultas, *sect. 7. n. 13*. vbi quaerit, an ad fructum illius passionis requiratur, quod durer actu voluntas illam patienter acceptans, & tandem respondet: *Videtur tamen verisimile non esse necessarium, vt interior actus continenter durer physicè, sed satis esse, vt moraliter durare censetur: indicatur verò durare moraliter, quan-**

44.

45.

46.

An sufficiat voluntas præterita.

P. Suarez.

49

do & actu cecidit in totam illam passionem, quam homo humano modo sentit, & patitur, quàmque ex vi illius actus patienter sustinet, nec repugnat, aut obmurmurat: denique, quando prior voluntas non est per contrarium actum retractata, & eius virius adhuc moraliter durat, ut ex dictis effectibus colligitur.

47. Cæterum idem Suarez infra, disputat. 48. session. 8. numer. 12. 13. & 16. contrarium docere videtur, & exigere perseuerantiam actualem voluntatis internæ. Nam illo numer. 12. circa medium, sic ait: An verò satisfactio requiri opus humanum, per quod fiat, & non sufficit quilibet effectus resultans, & procedens quouis modo ex precedente voluntate. Nam, si aliquis, verbi gratia, sumpsit potionem amarum voluntarie in penitentiam, vel mortificationem, quapvis postea ob eam causam patiatur gravissimos dolores; si circa illos nullam postea habeat voluntatem, nihil de nouo satisfaceret, &c. Et post pauca: Similiter (inquit,) si quis viuens præcipiat famulo facere elemosynam ex suis bonis, si postea, quando famulus illam elargitur, ipse dormit vel nubi de illa cogitat; nullam nouam satisfactionem habebit propter eternam largitionem: quia respectu illius iam non est humana actio. Quæ verba videntur retractare id, quod superius dixerat in verbis paulò antè relatis. Vnde numero 16. concludit: Non video, quomodo elemosyna facta per famulum ex præcepto domini, qui tempore executionis dormit, aut nihil de ea re cogitat, quomodo, inquam, aliquem fructum satisfactionis, vel remissionis pœnæ illi de nouo conferas.

48. Quidquid tamen de huius Auctoris mente sit, ego existimo, non requiri permanentiam voluntatis ad augmentum nouum satisfactionis, quandiu homo ex voluntate laudabili præcedenti patitur de nouo. Quod quidem possumus primò probare ex dictis: quia, quando adest præsens illa voluntas, passio externa addit nouam satisfactionem supra eam, quam attulit voluntas interna, ut Suarez, & alij admittunt: ergo etiam tempore sequenti passio externa durans augebit satisfactionem, licet iam non adsit voluntas interna. Probatur consequentia: quia actus externus, prout condistinctus ab interno, non addit nouam libertatem, sed procedit necessariò; & tamen addit satisfactionem, quia est effectus voluntatis libere: ergo similiter tempore sequenti ob eandem rationem addet nouam satisfactionem: quod enim sit effectus voluntatis libere præsentis, vel præteritæ, quid refert?

49. Confirmatur: quia ferè nunquam castigatio externa procedit à voluntate præsentis, prout præsentis nunc; sed prout præcessit antè: nam voluntas applicat inanim, v. g. ad flagellationem; quæ manus eleuata, & flagellum vibratum, accepto impetu, percutit independentem in ipso ictu à voluntate præsentis; sed dependenter à voluntate præterita, à qua accepit illum impetum: & tamen homo non satisfacit non solum per eleuationem brachij, & flagellum vibratum; sed per dolorem, eiusque sensum, qui postea consequitur: alioquin, si carnem non percuteret, sed pavementum ex errore, non minus satisfaceret: ergo satisfactio non desumitur necessariò à voluntate præsentis, sed potest sufficienter provenire à voluntate præterita.

50. Secundò probatur à priori: quia per illam passionem tempore sequenti consequutam homo denominatur se voluntarie castigans, & illa est castigatio humana: nam actus dicitur huma-

nus, qui, ut procedit ab homine, procedit ab illo operante cum aduertentia, & ratione: hæc autem castigatio, prout procedit ab homine, procedit ab illo cum aduertentia, & ratione, licet ipsius passionis tempore non sit fortasse talis aduertentia; procedit enim ab homine, prout prius operans cum aduertentia applicuit causas, ex quibus nunc consequatur passio: ergo est verè castigatio humana.

Hæc autem argumenta probant similiter, augeri satisfactionem per dolorem, aut passionem causatam tempore, quo homo iam dormit, ex voluntate libera, & honesta præcedenti: ut, si quis velit dormire cum cilicio, aut vestitus, etiam dum dormit, & patitur illud incommodum, vel dolorem, satisfacit: quia tunc etiam illa passio est voluntaria à voluntate præcedenti, quod sufficit, ut homo dicatur, se voluntarie, & laudabiliter castigasse. Sic enim, qui venenum tribuit Petro, licet dormiat, quando Petrus illud bibit, adhuc dicitur verè homicida, & illa occisio erit actio humana: ergo, si dedisset aliquid doloris causatum eodem modo, fuisset etiam vexatio, & actio humana: ergo, si te ipsum eodem modo effligas, licet dormias tempore, quo pateris dolorem, & cruciaris cum sensu cruciatus, verum erit, quod te cruciasti, & te castigasti humano modo, cum nulla possit assignari differentia.

Confirmatur: quia, si alicui à Confessione imponatur, quod vna nocte humi cubet; si ipse ita dormiens, statim ab aliis super lectulo molli collocetur, verè non satisfecit præcepto Confessarii: sed debet adhuc alia nocte humi cubare: ergo poterat etiam dormiens satisfacere: alioquin illa secunda cubatio humi ad nihil prodiret ex opere operato: non potest enim eleuari ad satisfaciendum ex opere operato id, quod ex se non est aptum ad satisfaciendum ex opere operantis: si autem non potest operari opere ex operato, non tenetur id ponere pœnitens ex præcepto Confessarii, qui solum potest præcipere id, quod est utile ad satisfaciendum.

Dices: Qui dormiens profert verba consecrationis, non consecrat; nec illa est consecratio humana, licet ante somnum voluerit proferte in somno verba illa: ergo nec erit castigatio humana, quæ fit in somno propter voluntatem præcedentem in vigilia. Respondetur negando consequentiam. Primò, quia actio illa posita tempore vigiliæ, non fuit loquutio; sed applicatio remota causatum ad loquendum: quare, licet illa fuerit actio humana; non tamen fuit loquutio humana: at verò actio, qua collocavit se in terra ad dormiendum, fuit actio castigatio; & cum illa fuerit humana; datur castigatio humana sequuto effectu. Secundò, quia loquutio humana est prolatio verborum ad significandam actualem mentem humanam loquentis: at verba prolata in somno non significant mentem actualem humanam loquentis: ergo non est loquutio humana: idecirco enim, qui præiudet se in ebrietate iuratum, non committit peccatum periurij se inebriando; quia verba in ebrietate prolata non sunt periurium formaliter, cum formaliter non significant. Vide, quæ de hoc latè dixi disp. 8. de Sacramento in genere, sess. 6. Fateor itaque, satisfactionem tempore somni non esse humanam; sed terminum, seu effectum actionis humanæ præcedentis: dico tamen, non solum satisfieri per actionem humanam, sed etiam per effectum illius: quia ex actione humana præterita, & hoc effectu non

non humano postea consequuto conflatur castigatio humano.

Dices iterum: Ergo, qui in hac vita vult pati post mortem in Purgatorio, satisfaciatur postea, dum in Purgatorio patitur, & vi prioris voluntatis, quæ amplexus est illas penas, sicut satisfacit tempore somni. Respondetur, negando sequelam: quia in Purgatorio non habet in statu viatoris, qui requiritur ad merendum, & ad satisfaciendum: sic etiam, si quis existens in gratia vult ieiunare, & postea in peccato ieiunare, non satisfacit, dum actu ieiunare: quia iam tunc non est in statu satisfaciendi.

Obicit Suarez *disq. disp. 48. sect. 8. numero 13.* quia ex hac doctrina sequeretur, quod possent fideles præcipere, ut alij pro ipsis ieiunent, vel se castigent, vel orent; & tunc opera illa facta ab alijs, ut ab instrumentis mandantis, etiam si ab ijs fiant in peccato, erunt satisfactoria ex opere operantis, respectu defuncti, quia illa præcepit. Respondetur facile ex dictis, negando sequelam: quia defunctus, ut diximus, non est in statu satisfaciendi: sed neque etiam vivens satisfaceret per ea opera, dum ab alijs fiunt, quibus ipse ea præcepit: quia satisfacere, est castigare se laudabiliter, ut sæpe dictum est: ille autem non se castigat, dum alij ieiunant, vel orant, cum per hoc ipse nihil prorsus mali, vel penæ patitur. Aliud est, quando ipse est sibi causa patiendi in somno: tunc enim verè se castigat, sicut castigaretur ab alio, à quo coheretur dormiens aliquid pati.

Infero ex dictis primò, quid dicendum sit, quando aliquis præcipit fieri elemosynam de suis pecunijs; an satisfaciatur, non solum cum præcipit, sed etiam postea, quando fit, concurrentibus alijs requisitis, status gratiæ, &c. Respondetur enim, si præcipiens vivat adhuc, satisfacere quidem quando etiam fit elemosyna: quia tunc etiam patitur damnum aliquod, scilicet, carentiam suæ pecuniæ voluntariam. Secus verò esset, si pauper clam illam pecuniam surriperet: illud enim damnum non oritur ex voluntate domini: quare per illud non diceretur se voluntariè castigasse. Unde immerito Pater Suarez *disq. sect. 8. numero decimo tertio in fine*, dixit, per accidens se habere in nostra sententia, quod clam accipitur, vel quod datur à famulo, vel ministro præcipientis, eo quod operatio ministri nihil conferat in hac sententia ad satisfactionem. Imò enim plurimum confert: quia operatio ministri procedit ab imperio domini, atque idè denominat dominum dantem, & privantem se illa pecunia: quod non habetur, quando alius clam illam accipit, quæ acceptio, & eius effectus nullo modo procedunt à voluntate, & imperio domini. Denique, si dominus post illud præceptum iam sit mortuus, tunc non satisfacit, quando fit elemosyna: quia non habet amplius statum satisfaciendi, ut diximus.

Infero secundò, dormientem, vel amentem, licet non possit satisfacere per ea, quæ tunc paritur, nisi antea voluerit illam penam; posse tamen actu satisfaci, si Deus voluerit illam passionem pro peccata debita inferre: ad satisfaciendum enim non est necessaria voluntas influens, vel acceptans penam: Potest tamen Deus non acceptare illam penam; sed inferre, aut permittere illud damnum, ut auctor naturæ, vel alia de causa, referendo sibi ius suum ad exigendam tempore suo penam debitam pro peccato.

P. Ioann. de Lugo de Panisencia.

An propter doctrinæ consequentiam necesse sit hoc ipsum concedere in merito, & demerito.

EX hac nostra doctrina inferunt aliqui, qui eam veram esse putant, idem dicendum esse propter eandem rationem in merito, & demerito, augeri illud per opus externum, ita ut qui elemosynam de facto dedit, plus præmij mereatur, quam qui voluit dare, si pares omnino sint quoad voluntatem internam. Ita opinatur novissimè Pater Ioannes Martinez de Ripalda, nostræ Societatis, in suo erudito Opere de ente supernaturali, tom. 1. disp. 68. sect. 5. ubi contendit hoc satisfactionis exemplo probare, hominem iustum plus gratiæ, & gloriæ mereri de condigno per actionem internam, & externam simul, quam per solam internam. Quia meritum est obsequium cedens in honorem, aut commodum Principis, aut Reipublicæ potentis illud præmio compensare: distinguit enim laudabilitatem à merito, quod laudabilitas sumatur per convenientiam operis cum dictamine operantis: meritum verò per convenientiam operis cum honore, & bonis alterius. Unde ad rationem meriti opus debet apprehendi conveniens alteri supposito distincto ab ipso merenti, scilicet, Superiori, à quo remunerandum est: ad laudabilitatem verò sufficit apprehendi conveniens ipsimet operanti, quæ liber est, legibusque orationis subiectus, ut explicauerat disp. 15. sect. 1. num. 1. Actio autem exterior auget obsequium Dei, quæ parte cedit meritum in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis licet non augeat bonitatem moralem meriti: ergo actio externa auget meritum in ratione meriti. Minorem probat: quia actio exterior conducit maxime ad excitandum in alijs laudem, & cognitionem Dei, & affectus virtutum, quæ sunt bona externa Dei, & Reipublicæ rationalis: ergo actio exterior se ipsa constituit meritum, ut conducens in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis.

Confirmatur primò hoc ipsum exemplo satisfactionis per ipsam actionem externam. Confirmatur secundò ex usu Ecclesiæ, quæ censuras, & penas imponit ijs, qui non solum interiùs, sed etiam exteriori aliqua peccata committunt: Indulgentias etiam, & privilegia concedit pro actu externo pietatis, non pro solo interno desiderio: quod etiam seculares Principes facere solent. Cur ergo Deus non potuit præmia aliqua definire pro illis, qui actum externum simul cum interno coniungerent? Quæ enim prudenter geruntur à Principe humano in ordine ad bonum suæ Reipublicæ, fieri possunt etiam à Deo in ordine ad bonum dignitatis, & Reipublicæ suæ.

Hæc quidem ingeniosè ab illo Auctore exco- gitata sunt; non tamen cogunt deserere communem omnium ferè Theologorum sententiam: & ut verum fatear, ut vnâ, vel alteram difficultatem effugiat, in alias non leues doctrinæ illa videtur inducere. Primò enim supponit, laudabilitatem, & bonitatem moralem ita distingui à ratione meriti, ut possit crescere meritum operis non crescente bonitate, & laudabilitate: quod quidem verum est, si meritum crescat ratione maioris gratiæ, dignitatis, quæ sit in subiecto: non tamen, si solum crescat propter actum externum: quia hoc incrementum eodem modo pro-

Y y cedet

ceder in ordine ad demeritum, propterea ille Auctor videtur supponere, ut ex eius argumentis *supra* relatis constat, quæ desumuntur ex pœnis Ecclesiasticis contra peccata externa. Difficile autem, & durum est dicere, quod ex duobus volentibus efficaciter occidere, alter mereatur apud Deum maiorem pœnam præcisè propter actum externum, cum sint omnino æquales in affectu, & peccato interno, atque adeo in malitia morali, & reprehensibilitate: nam, sicut actus externus non facit laudabiliorem, ita nec magis reprehensibilem. Quod quidem videtur esse contra modum loquendi Scripturæ, & Patrum, qui dicunt, iuxta mensuram malitiæ, & culpæ, futuram esse pœnam. Nam in prædicto casu culpa, & peccatum essent æqualia in utroque, & pœna esset inæqualis. Cum tamen Scriptura *Deuter. 25.* dicat: *Iuxta mensuram delicti erit & plagarum modus.* Quod in eo saltem sensu verum est, ut licet citra condignum omnes puniantur: omnes tamen plus, vel minus aliis, propterea excedunt: vel excedunt in malitia, & iniquitate.

59. Vnde rursus fieret, quod maior peccator sæpè mitius puniretur, quam qui minus peccasset: quia nimirum, hic secundum cum minori malitia posuisset actum externum, qui malitiam, aut culpam non auget: ille verò primus sine actu externo graviora peccata commisisset: atque ideò, licet magis iniquus, reprehensibilis esset, esset minus punibilis. Vnde esset quidem dignus maiori reprehensione, sed minori supplicio; quod difficile quidem intelligi, aut concedi potest.

Confirmatur: quia per illud redditur aliquis magis amabilis, vel odibilis, per quod redditur magis laudabilis, vel vituperabilis: nam idem bonum est obiectum amoris, & laudis; & idem malum est obiectum odij, & reprehensionis: ergo, qui melius operatur, sicut est magis laudabilis, sic est magis amabilis à Deo: Deus enim magis amat eum, in quo inuenit maius motiuum amandi; quod est maior bonitas: quis ergo credat, quod Deus maius præmium conferat illi, quem minus diligit, & minus præmium ei, quem magis diligit: quia dignus maiori amore est: Rursus, qui maiorem malitiam contrahit, & graviora committit peccata, est magis odibilis, cum motiuum odij sit malitia, & culpa: ergo Deus magis eum odit, quam eum, qui minus malitiæ contrahit: tamen continget, quod hic grauius puniatur propter actus externos: atque ideò minus puniri eum, qui odibilior est Deo: grauius verò eum, quem Deus minus odit: quæ omnia difficilia sunt, & contra communem fidelium sensum.

60. Secundò, quia absque sufficienti etiam fundamento supponit meritum, ut meritum, non sumi in ordine ad id, quod conuenit ipsi operanti; sed per conuenientiam operis cum honore, & bonis Superioris præmiantis. Sane ego non minus ingenuam, & alienam à proprio commodo concipio conditionem præmiantis, quam laudantis: sicut enim laudans non attendit, quid sibi commodi attulerit ille, quem laudat, sed, quid in eo sit boni: ita, qui præmiat, non debet attendere ad suum interesse, & lucrum, sed ad bonitatem illius, qui præmiatur. Præmia enim non sunt instituta secundum gubernationem rectam, ut ille qui præmiat, honoretur: sed, ut ille, cui præmium proponitur, bonus, fiat saltem remunerationis intuitu. Vnde, licet Deus nihil lucri accepisset à merente, nec aliquid ab eo speraret: adhuc secundum leges prudentis, & bonæ gubernatio-

nis deberet præmiare eum, qui laudabiliter operatur. Addo, licet non esset Respublica humana, sed vna sola creatura intellectus, illam etiam oportere allici præmio, & deterreti supplicio, ut bonum amplecteretur, & malum fugeret. Gubernator enim, ut Gubernator respicit bonum ipsius subditi: ergo propositio præmij, & supplicij, qui est actus Gubernatoris, ut Gubernator est, refertur ad bonum ipsius subditi, qui ut bonus in se fiat, alliciendus est præmiis, & deterrendus supplicio. Si autem finis est bonitas ipsius operantis, hæc autem non crescit per opus externum, non oportuit præmia, & supplicia pro actibus externis multiplicare.

Confirmatur primò: quia, etiam si daretur præmium, & pœnam ordinari ad lucrum præmiantis, & bonum Respublicæ propter exemplum: adhuc pro solis actibus internis designanda essent: cum enim actus externi non sint in nostra potestate, nisi medijs internis: sufficeret allicere hominem ad actum internum efficacem: quia, licet rursus proponatur præmium pro actu externo: non magis excitabitur homo, quam si esset propositum pro solo actu interno, cum in utroque casu solum excitetur ad actum internum, quem solum ipse potest ponere, & non ponere.

Confirmatur secundò: quia actus externus oculis, quem nemo vidit, nec videre potuit, non magis mouet ad laudem Dei, vel ad exemplum, quam actus internus efficacem: cum nemo illorum scire possit, nisi ex relatione operantis, ex cuius relatione posset scire actum internum: Angeli verò, si non cognoscant actum internum, sæpè etiam non poterunt cognoscere, an actus externus sit bonus, cum ipse de se sit indifferens, & eius honestas pendeat ex intentione recta, qua fit, quæ manebit eis occulta: ergo ipse actus externus sæpè parum, vel nihil prodegit ad eos fines, atque ideò non est, cur augeat valorem meriti.

Tertiò argui potest contra illam sententiam, quatenus ex Ecclesiæ vfu probare contendit, posse statui condignam pœnam propter actum externum: nam exemplum illud Ecclesiæ multum probaret. Primò, quia Ecclesiæ punit actum externum, tunc etiam, quando effectus consequitur post peccatum pœnitentiam à peccatore: si v. g. venenum dedit; & postea, quando remedium adhibere non potest, pœnitentiam agit, iustificatur, & superabundanter satisfacit per annum integrum operibus pœnitentiæ, & perfectionis se exercens: si tamen post annum, tandem veneno operante, ille alius moriatur. Ecclesiæ punit tunc delictum, pœna irregularitatis; quem puniendi modum Deus non obseruat, ut constat. Rursus Ecclesiæ non punit omnia delicta, etiam externa, iuxta eorum dignitatem. Nam, si duo, v. g. proiecerunt iacula in duos quorum vnus aberrauit in icu, alter inimicum occidit; hunc solum Ecclesiæ irregularitate punit: cum certum sit, ex se utrumque fuisse æquè pœna dignum: & quidem Deus illos non diiudicabit ex fortuito illo eventu. Non debemus ergo arguere, & constituere diuinum iudicium ex iis, quæ Ecclesiæ agit.

Primò, quia Ecclesiæ, sicut non omnia delicta punit, sed multa prudenter dissimulat, & impunita relinquit, ac reseruat in Dei iudicium; sic etiam non omnia delicta æquè digna punit eadem pœna. Secundò, quia, cum Ecclesiæ non iudicet de meritis internis, nec ea punit, nisi quando per actum externum eorum malitia manifestatur: merito expectat actum externum, non quia augeat dignitatem; sed, quia per illum culpa interna, & eius dignitas

gnitas deducitur ad forum Ecclesiae. Tertio denique, quia Ecclesia potissimum ex actu externo cognoscere potest quantitatem, grauitatem, & dignitatem culpae internae: ideo non potuit prudenter meliorem regulam vniuersalem assumere ad poenam statuendam, quam actum externum; quia, si aliquis, v. g. percutiat absque morte percussus, non potest scire animum fuisse occidendum, si quis, promisso pretio, beneficium Ecclesiasticum accipiat, & postea pretium non soluat, non potest scire animum fuisse ab initio simoniacum: ideo vt regulam vniuersalem ad poenam praescribat, prudenter attendit ad effectum externum. Quae omnia in Dei iudicio non procedunt, qui & omnia peccata punit, pro eorum dignitate, & omnia aequè digna aequè punit, & eorum grauitatem cerò cognoscit: non ex euentu, sed ex intentione operantis, vt constat.

64. Vnde ad argumenta contrariae sententiae facile responderi potest. Ad primum enim negamus, dignitatem praemij desumi ex commodo, aut lucro, quod re ipsa ex opere consequitur praemiati; sed ex animo asserendi, & ponendi illam vtilitatem, & commodum. Fateor, in ordine ad debitum gratitudinis, attendi etiam posse ad effectum re ipsa sequutum: nam, si duo me velint efficere ex se à morte liberare, vnus tamen solus re ipsa me liberet: plus debeo huic, cui non solum effectum sed vitam ipsam debeo: sicut debeo pecunias ei, qui mihi eas mutuo dedit; non ei, qui voluit, sed non potuit mutare. Hoc tamen non est debitum ad praemium, sed ad gratitudinem, quatenus congruum, est, vt cui plus debeo, plus referam. Meritum autem condignum non affert solum congruitatem hanc, sed condignitatem fundatam in bonitate operis secundum se independentem à commo- do mihi consequuto; neque hoc est propriè debitum gratitudinis ad soluendum, quod accepi, sed debitum excitandi homines ad amorem boni, & odium vitij, ac per consequens respicit aequalitatem non inter datum, & acceptum, sed inter bonitatem operis, & praemium. Sic etiam in ordine ad puniendum formaliter non attenditur de condigno damnum mihi re ipsa illatum; sed culpa offensoris. Fateor, quando damnum non fuit re ipsa consequutum, esse fundamentum, vt offensus facilius placeatur, & remittat poenam: quia non est necessaria poena tunc ad recompenandum meum damnum, & ad mitigandum dolorem ex damno praesentem. Ceterum, si rigorose agendum sit, potero exigere poenam attendendo solum ad quantitatem culpae, cum essentiale motiuum poenae sit deterere homines ab amore vitij, & à voluntate praua. Exemplum esse potest, si dux feminae sanctissimae voluntate, & affectu aequè perfecto sese obulissent ad concipiendum Verbum Dei, & altera eorum ad hoc eligeretur, & fieret Dei Mater: quod attinet ad meritum, vtrique fuisset aequalis; sed tamen Filius Dei plus deberet illi, cuius filius erat propter carnem ab ea acceptam, non quidem ex dignitate ad praemium; sed ex debito gratitudinis, quo filius matri adstringitur. Sic se habet Deus respectu illius, qui ex desiderio diuinæ gloriae praedicauit, vt multos converteret, quos de facto conuerit cum incremento magno gloriae diuinæ: non enim deberet illi plus praemij, quam alteri, qui ex aequali affectu eodem modo praedicauit sine auditorum fructu; sed tamen, quia plus emolumentum ab huius praedicatione accepit, plus ei deberet debito gratitudinis.

Ad primam confirmationem constat iam differentia inter meritum, & satisfactionem: nam satisfactio.

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

factionis condignitas desumitur ex aequitate exigente, vt qui se voluntariè castigauit, & passus est laudabiliter poenam, non cogatur iterum pati, & torqueri, ne afflicto afflictio superaddatur ad quod multum facit afflictio, & poena re ipsa posita, & rolerata. At verò meritum, & eius condignitas fundatur in aequitate postulante, quod bonitas operis praemietur, vt homines alliciantur ad amorem boni. Si autem ex defectu euentus consequuti bonitas operis minus praemiaretur, homines minus allicerentur à praemio proposito ad studium virtutis, timentes, quod absque sua culpa possent conatus boni fraudari praemio ob effectum non consequutum. Oportebat ergo eos hoc metu liberare, scientes, voluntatem bonam nullo praemio fraudandam ob defectum, qui non est in potestate operantis. Ad secundam confirmationem constat ex dictis, quomodo non bene arguatur ab vltu Ecclesiae, & Principis humani ad leges praemij, & supplicij condigni in foro Dei, propter rationes differentiae, quas adduximus.

66. Vtget tamen ille Auctor aliquibus exemplis adductis ad suam sententiam confirmandam. Primum est ex confessione sacramentali, in qua, vt supra vidimus, explicandum etiam est opus externum, & subiiciendum clauibus Ecclesiae; nec sufficit confiteri voluntatem internam ex se efficacem, in qua tota malitia consistit; cuius ratio difficile redditur, nisi dicamus, actionem externam meritum, & demeritum augere. Hoc tamen exemplum retorqueri potest. Primum, quia praecceptum confessionis non est confitendi demerita, sed peccata: si ergo actus externus non auget peccatum in ratione peccati, non erit obligatio illum confitendi, licet augeat in ratione demeriti, sufficit enim explicare peccatum; sicut sufficit absolvere à peccato, vt peccato: macula enim peccati habitualis, quae per absolutionem aufertur, non est reatus poenae: sed turpido, & sceleris peccati habitualiter perseverans, quae reddit hominem turpem, & odibilem: non redditur autem odibilis sicut neque reprehensibilis à reatu poenae formaliter, sed à malitia, vt aduersarij fatentur: ergo ex hoc capite non esset obligatio confitendi actum externum, per quem homo non est magis peccator, nec magis maculatus, aut odibilis Deo.

67. Secundo retorqueri potest: quia, si ex hoc capite proueniret obligatio illa confitendi actum externum, esset obligatio confitendi etiam effectum consequutum postea ex peccato, v. g. pollutionem consequutam in somno, vel ebrietate, quando fuit prauius, & voluta; item, homicidium in ebrietate consequutum, & alia similia: quia haec etiam in sententia illius Auctoris augent demeritum, vt constat ex illis exemplis, quae adducit, scilicet, quod Ecclesia poenam imponit propter actum externum, quam quidem poenam certum est ab Ecclesia imponi etiam propter effectum postea in somno consequutum ex causa culpabiliter prius posita. Item, affert exemplum martyrij, in quo effectus mortis consequutus auget praemium: constat autem effectum illum consequi postea; quando iam non adest voluntas interna. Consequens autem falsum esse ostendimus supra disp. 16. sect. 9. ex absurdis, quae sequerentur, si esset obligatio per se loquendo, confitendi effectus postea consequutos ex peccato praeterito. Aliunde ergo debemus omnes reddere rationem illius obligationis confitendi actum externum peccati quam explicuimus, & reddimus loco citato, ex eo, quod actus ille externus sit verè peccatum, quando durat voluntas, à qua denominatur malus; &

Y y 2 ideo

68.

ideo debet explicari; quia non solum est præceptum confitendi malitiam, sed confitendi etiam ipsa peccata, qualis est actus externus prohibitus.

Secundum exemplum, quod prædictus Auctor adducit, est ex actu martyrij, in quo ipse actus externus affert novum præmium, nempe, aureolam; quam non consequitur, qui efficaciter desideravit martyrium, si ipsa non moriatur. Ad hoc etiam facile respondetur dupliciter. Primum, non esse trahendum ad consequentiam actum martyrij: quia iuxta communem Theologorum sententiam, martyrium consummatum ex peculiari privilegio affert augmentum, vel etiam infusionem primam gratiæ ex opere operato, sicut Baptismus: quare, sicut illa passio consummata affert gratiam, & iustificationem ex opere operato; non mirum, quod Deus voluerit etiam illi conferre aureolam accidentalem ex opere operato ultra dignitatem operis. Secundum responderi potest illam aureolam accidentalem non esse partem præmij condigni: nam totus valor meriti illius condigni refertur ad gratiam, & gloriam; sed esse præmium quoddam correspondens merito congruo; quod præmium potuit Deus velle dare, quando ponitur passio externa: quia, ut supra diximus, saltem ex gratitudine Deus debet plus illi, qui re ipsa passus est, & cuius passione Deus ipse magis est glorificatus: quare ex motu gratitudinis potest moveri ad volendum tunc conferre præmiū etiam maius, eo quod de congruo solum meruerat per voluntatem patiendi, & moriendi: quod meritum congruum non semper Deus præmiat, ut constat: multa enim possunt haberi de congruo per bona opera, quæ Deus non confert.

69.

Tertium exemplum, quod affert idem Auctor, est ex Christi passione externa re ipsa exhibita cuius intuitum prævisionem Deus expectavit ad definienda prædestinatis dona supernaturalia, ut plura Scripturæ testimonia suadent: nec satis erat videre desiderium solum internum patiendi. Ad hoc etiam facile respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod supponitur, de quo dixi *disp. 7. de Incarn. sect. 5. n. 57.* quod attinet ad propositum, nihil obstat: potuit enim Deus expectare mortem ipsam Christi: quia usque ad illam duravit meritum actuale ipsius Christi, cum usque ad illud ultimum instans vitæ semper meruerit per actus internos, quibus mortem volebat, & acceptabat: quare, cum Deus voluerit redemptionem nostram obtineri per omnia Christi merita, debebat expectare eorum omnium consummationem, quæ usque ad mortem posita non erat, etiam quoad actus internos. Adde etiam si merita non durassent usque ad illud ultimum instans, durasse tamen satisfactionem, quam iam supra diximus augeri per ipsam passionem externam procedentem ex voluntate præterita: quare potuit Deus velle, quod redemptio nostra, & satisfactio quoad sufficientiam pro nostris peccatis, & pœnis correspondet toti satisfactioni Christi completæ, & consummatæ. Ex his ergo & similibus exemplis, non habetur, quod actio externa debeat augere meritum, prout distinguuntur ab interna, etiam si id in satisfactione concedatur.

SECTIO V.

An, & quomodo passiones, & pœne ab intrinseco, & necessario provenientes, possint esse satisfactoriæ.

70.

Certum, est hominem iustum per eiusmodi passiones, & flagella à Deo missa posse satis-

facere pro debito pœnæ; si ea mala patienter tolerat: sic enim definitur à Trid. *sess. 14. c. 9.* his ver. *Quia Trid. Docet præterea, tantam esse divine misericordie largitatem, ut non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam, quod maximum amoris argumentum esset temporalibus flagellis à Deo influctis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum, satisfacere valeamus.* Difficultas est in explicando, quomodo per huiusmodi afflictiones possit homo satisfacere. Ratio dubitandi oritur ex supra dictis, quia econdignitas satisfactionis oritur ex eo, quod æquum sit, quod acceptetur pro debito pœnæ illa voluntaria puniitio, qua ipse homo se laudabiliter castigat præveniendi officium Iudicis: per eiusmodi autem flagella homo non se castigat, cum ipse nullo modo sit causa illius pœnæ, sed potius passivè se habet: cessat ergo fundamentum satisfactionis condignæ.

Propter hoc est prima sententia, quæ dicit, nos ita satisfacere per ea flagella patienter tolerata, ut tota satisfactio habeat se ex parte ipsius patientis, & voluntatis, qua acceptantur illæ passiones. Ita Richardus, & Gabriel apud Suarez *disp. 57. sect. 7. n. 2.* A qua sententia parum, vel nihil distare videtur P. Vasquez *q. 94. art. 1. dub. 7. n. 10.*

Cumque sit hæc sententia, placere non potest: quia Tridentinum in verbis supra adductis, non solum per patientiam; sed per ipsam etiam flagella dicit satisfieri: quod primum constat ex eo, quod eodem prorsus modo loquitur de flagellis à nobis spontaneè susceptis, & de illis aliis. Cum ergo per flagella à nobis suscepta satisfaciamus, & non per solum voluntatem internam; idem dicendum est de posterioribus. Secundum, quia si solum satisficeret per actum internum, nimis improprie dici posset, quod satisfacimus illis pœnis, & flagellis, ex eo, quod hæc sint obiectum patientiæ, & acceptationis: alioquin possemus dicere, quod satisfacimus per divina beneficia, per creationem, per beatitudinem: quia hæc, & similia possunt esse obiecta actuum virtutis, quorum exercitio satisfacimus. Tertio, quia frustra omnino, & absque fundamento Tridentinum commendat benignitatem, & misericordiam Dei peculiarem in illo modo satisfactionis, prout de facto commendavit. Nam satisfacere per solum actum internum patientiæ; secundum mensuram ipsius actus solius, nihil habet speciale, & diversum ab alia satisfactione, qua satisfacimus amore inimicorum vel voluntate observantiae divine legis: cum ille actus patientiæ internæ non minus sit à nobis, nec minus sit aptus, & potens, ut constat. Cur ergo magis apparet misericordia Dei in acceptanda satisfactione, quæ illi actui correspondet? Fatendum ergo est, Cœcilium non loqui solum de patientia interna, sed de passione ipsa etiam, in cuius acceptatione, quia non est à nobis illa passio, magis commendatur benignitas, & beneficentia Dei. Quo etiam modo loquuntur Sancti Patres quos affert Suarez numero 6.

Ex his reiici etiam potest sententia Medinæ *tract. 3. q. 5. in fine primi dub.* qui dixit, per patientiam internam solum reatum pœnæ, tanquam per satisfactionem propriam; per passionem vero externam solum etiam pœnam, non ut per propriam satisfactionem, sed per modum punitionis ab ipso Iudice illatæ, quæ posset dici satisfactio. Hoc tamen, ut dixi, ex eodem Tridentino reiicitur, in quo per flagella externa dicitur non solum satisfieri hominem, sed satisfacere; & in hoc modo satisfaciendi

ciendi per illa flagella commendari misericordiam, & benignitatem Dei.

Eodem modo reici potest aliorum distinctio, qui dicunt, quando eiusmodi poena provenit ex causis generalibus, naturalibus aut liberis, & non à Deo in poenam peccati, ut aegritudines, bella, fames, vel quæ à Iudice humano, aut inimicis iustis, vel iniuste patimur: non deferunt ad satisfactionem, nec satisfationem, nisi secundum actum internum, cum non procedat ab ipso homine, nec à Deo in punitionem peccati: quando verò imponitur à Deo in poenam peccati, tunc deferunt quidem, non ut satisfationem propriam, sed per modum iustitiae ultionis: quomodo loquitur Soro *diff. 19. q. 2. art. 2.* Quæ sententia eodem modo reicitur, cum ex Tridentino constet, non solum patientiam internam; sed passionem etiam externam patienter toleratam deferre ad satisfationem, & non ad solam satisfationem, ut vidimus.

73. Restat ergo, ut explicemus, quomodo passio illa, quæ à nobis non procedit, possit esse satisfactio, licet per illam, qui patitur, nullo modo videatur se se laudabiliter castigare. Pater Suarez *dicta sect. 7. num. 7.* dicit hominem, dum poenam acceptat facere eam moraliter suam; & idem posse per illam satisfacere: sicut, qui ab alio suscipit pecuniam, & eam offert Deo in cultum religiosum; per illam satisfactio, Mihi placet illud primum nempe, hominem facere illam poenam moraliter suam: displicet tamen exemplum offerentis Deo pecuniam, quam ab alio accepit: quia hic reuera accepit dominium illius pecunie, & ita propriè offert, quod suum est, & cuius dominium habet: qui verò patitur, & acceptat aegritudinem, nullo modo fit dominus illius. Unde retorqueri potest exemplum: quia, si aliquis me impedit ab acquirendo lucro, possum ego quidem patienter ferre illud damnum; per hoc tamen non potero offerre illam pecuniam Deo, ita ut tali oblatione satisfaciam voto offerenditanti pecuniam in Dei cultum.

74. Aliter ergo possumus explicare, quomodo fiat moraliter nostra illa passio ex duplici capite. Primum, quia qui patienter acceptat Dei flagella, eo ipso consentit Deo in illa punitione, & quantum est de se, vult Deo cooperari ad illam. Quare, licet re ipsa non sit causa flagelli, est tamen æquivalenter causa in conspectu Dei: quia æquitati consonum est, ut qui Iudici punienti consentit, nec vilo modo repugnat, mitius puniatur. Et in hoc sensu dici potest, quod per patientiam facit æquivalentem, suam illam passionem; idem enim August. *lib. 8. questionum, quest. 31.* dixit, quod patientia est, honestatis causam arduarum voluntaria permissio. Quia, licet voluntarium proprium non sit, nisi quod procedit à voluntate; per illam tamen acceptationem, & patientiam fit quasi voluntaria, hoc est, æquivalenter nostra illa flagellatio: quatenus consentiendo Deo in illa punitione, offerimus quasi nos ipsos ad cooperandum positum, si Deus ita voluerit. Fateor, non esse propriè voluntariam: & idem, cæteris paribus, non ita esse efficacem ad satisfaciendum: habet tamen moraliter aliquid voluntarij, & idem aliquam condignitatem ad satisfaciendum; imò potest aliunde excédere propter maiorem difficultatem, quam homo habet ad patiendam, quæ ab aliis inferuntur, & idem magis proderit ad fructum satisfationis, ut notavit Suarez *n. 8.*

75. Secundò, possumus hanc causalitatem nostram ex alio capite explicare, ita ut non sit solum æquivalens, sed al quo modo vera, licet indirecta. Pro quo adverte, patientiam fit colligitur ex verbis

P. Ioann. de Lugo, de Patientia.

suprà adductis Augustini, esse voluntariam male perpassionem, honestatis causa: quia, licet non sit in nostra potestate pati, & non pati; in potestate tamen nostra est malle pati, quam ab officio desciscere: & in hoc sensu illa passio non solum est voluta, sed voluntaria indirectè, quatenus homo præeligit pati potius illud malum, quam admittere solatium illicitum; quale esset indignatio, quærela, & impatientia ad leniendum dolorem: in quo consistit potissimum honestas, patientiæ, ut cum aliis observat Lessius *lib. 3. de Virtutibus, capite 2. dub. 5. numero 38.* & 41. atque idem, ablata honestatis causa, solatio illo, videtur indirectè à nobis procedere, & perseverare passio flagelli à Deo immitti. Quia tamen hæc etiam dependentia indirecta est nimis imperfecta; idem minus conducit; ut dixi, quam illud aliud, quando homo ipse sponte assumit ipsas passiones.

Hinc infero primò, cur Tridentinum *suprà* adductum dixerit, in hoc genere satisfationis elucere magis bonitatem Dei, & eius munificentiam largitatem. Neque enim iis verbis negare voluit, hanc etiam esse satisfationem de condigno; sed, quia ex parte modi multum deficit à rigore iustitiæ vindictivæ: idem maior benignitas Dei est acceptare etiam eiusmodi satisfationem; in qua est minor condignitas: & est tamen aliqua; quia condignitas non consistit in indivisibili; sed habet latitudinem; sicut habet fundamentum, quod est in tali, vel tali modo patiendi ad hoc, ut Iudex illam passionem acceptet in partem poenæ debitæ, licet posset eam non acceptare: ut *suprà* diximus.

Infero secundò, ad hanc etiam satisfationem requiri actum internum positivum, quo patienter flagellum acceptetur: quare, qui merè omittit se habere per omissionem non liberam, non satisfaceret per flagellum: tunc enim cessaret utraque ratio *suprà* adducta, & ex nullo capite fieret etiam æquivalenter nostra talis passio, in qua haberet se homo merè passivè. Maior difficultas esse posset, si ommissio illa esset libera, qua liberè homo non haberet vllum actum impatientiæ. Et quidem in mea sententia, qua nego possibilem amissionem puram liberam, non est difficultas. In sententia autem contraria illam concedente distinguendum est: nam, si cum aliquibus illius sententiæ sectatoribus concedas, dari puram omissionem liberam honestam, & meritoriam consequenter debes dicere ex tali omissione impatientiæ meritoria reddi satisfactoriam passionem externi flagelli; quia iam habet actum patientiæ interpretativum; si verò cum aliis pluribus neges talem omissionem puram posse esse laudabilem, & meritoriam; debes etiam dicere, non reddi satisfactoriam poenam toleratam cum tali omissione impatientiæ: quia non toleratur studiosè, neque ex fine honesto.

76. Petes, an crescat satisfactio per passionem flagelli externi solum, quandiu durat actus internus patientiæ, an etiam postquàm præterit. Respondetur in primis, crescere, quandiu actus patientiæ internus manet, saltem in effectu: hoc est, quandiu ex actu præterito provenit, quod nunc non indignetur homo, non prorūpat in aliquam impatientiam: quia, sicut passio sponte suscepta auget satisfationem, etiam transacta acta interno, quandiu passio externa procedit ab illa voluntate præterita: sic dicendum erit de hac causalitate indirecta, qua voluntas præterita cohibendo impatientiam, causa est, quod hinc, & nunc patiatur homo absque illo qualicumque solatio indignationis. Addo secundò, licet homo nunc non sit capax habendi impatientiam, quia dormit v. g. vel ad alia distrahitur, probabile mihi esse:

Y y 3 hi esse:

76. Flagella extrinseca an sint satisfactio de condigno.

77. An sufficiat tolerantia sine actione.

78. An requiratur actus patientiæ præteriti.

hi esse, quod creseat semper satisfactio, dum patitur flagellum illud: quia, licet tunc non militet secunda ratio *suprà* posita de causalitate indirecta; procedit tamen adhuc prima ratio de causalitate æquivalenti, quam habuit per actum patientiæ, & acceptationis voluntariæ: quia per illum actum factus est æquivalenter causa, ut diximus: quare, sicut, si esset vera causa, satisfaceret postea etiam in somno, ut dictum est *suprà*: sic etiam dum est æquivalenter causa, debet transacto illo actu adhuc satisfacere per ipsam passionem externam.

79.
An qualibet
mala ad hoc
sufficiant.

Cont. Trid.

Infero tertio, non solum satisfieri posse per flagella inflicta à Deo specialiter, vel ex animo puniendi pro peccatis; sed per quæcunque flagella, aut calamitates, vnde cumque proueniant; siue ex causis naturalibus, & ordinario rerum cursu; siue à causis liberis; siue ab inimicis: siue iustis, siue etiam iniustis illatis. Hæc videtur esse mens communis Theologorum, quos sequitur Suarez *dicta sect. 7. n. 9.* & videtur conformis verbis Tridentini, in quo nulla fit distinctio, sed vniuersaliter dicitur, *temporalibus flagellis & Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, posse satisfieri.* Et quidem hic videtur esse sensus fidelium, qui absque alio examine, statim recurrunt ad Dei prouidentiam, cuius voluntati se conformantes accipiunt, tanquam ex eius paterna manu, vniuersa mala obuoluentia: scientes, quod non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus: & de quocunque passionis calice vsurpantes Christi verba: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Quod saluti, si nobis deesset, aut si necesse esset examinare, an malum illud à Deo proueniat, & an animo puniendi, vel ex alio fine diuerso, grauiores multo nobis redderentur huius sæculi calamitates.

80.

Ratio denique colligi potest ex doctrina *suprà* tradita, applicando illam ad huiusmodi mala. Nam, si illa in primis à Deo proueniant, non animo puniendi, sed ex alio fine: idem, & fortasse maius fundamentum in eorum tolerantia reperitur, ut acceptentur à Deo pro debito nostræ pœnæ. Si enim, qui reus est pœnæ, aliquid mali patitur ab illo, à quo puniendus erat, & id patienter, ac libenti animo ab illo sustineat: magis videtur æquitas postulare, quod illud malum pro satisfactione acceptet, quam si ex industria propter eius delicta fuisset illatum. Plus enim mouet ad compassionem, & clementiam tolerantia illius, qui sine causa, quam eius, qui cum causa patitur, & magis videtur obligari Iudex ad remittendum de rigore erga eum, quem sine causa vexauit, quam si eum ob delicta vexasset. Quod ergo ea mala non sint à Deo immixta in pœnam peccatorum, non minuit, sed auget fundamentum ad remittendum rigorem circa pœnas debitas.

81.

Rursus, si illa mala proueniant ex causis naturalibus necessariis: eadem videtur esse ratio: cum per illas omnes propriissime operetur ipse Deus, qui & fecit, & conseruat, & disponit, & vult illas causas, & earum seriem, ex qua necessario consequitur talis effectus; atque aded vult illum effectum, & causat illum: quare homo laudabiliter se conformat eius voluntati, dum vult pati id, quod Deus ex se voluit per causas secundas, & cum eisdem causis ipsi inferre. Denique, si mala illa proueniant per causas secundas liberas, eadem ferè est ratio. Primo, quia licet actionem internam malam voluntatis liberæ Deus non velit determinatè; effectum tamen malum ex illa actione procedentem, qui mihi nocet, Deus vult, & causat ex suppositione illius malæ voluntatis: v. g. si aliquis

vult lacerare corpus, & famam meam; Deus non vult determinatè illam voluntatem internam malam posita tamen illa, vult concurrere conculso determinato cum potentia externa necessario operante, nempe cum lingua, vel manu ad detractionem, vel percussione; quem conculsum posset Deus negare, & non vult cui voluntati, licet sit in nocendum meum, ego me conformo, & approbo illam, quia voluntas Dei est secundò, quia Deus, cum facit, & suauiter posset, noluit impedire illud malum, nec postea, cum posset, vult adhibere remedium; cui duplici voluntati diuinæ laudabiliter se conformat, qui malum patitur: & ratione huius conformitatis dignus est, non solum premio; sed etiam, ut pœna illa acceptetur loco pœnæ debite, eò quod per illam patientiam, & conformitatem fecerit illam moraliter suam.

Confirmatur, & explicatur, quia ad hoc, ut homo satisfaciatur condigne per passiones, quas sponte suscipit, non est necesse, quod habeat in illis causalitatem directam, sed sufficit, si habeat indirectam, quatenus potest illas impedire, & non impedire, v. g. si potens adhibere medicinam, vel expellere famem, sitim, aut frigus, permittit in se dolorem, famem, sitim, frigus, & similes molestias, quas Deus offert; non dubium, quin satisfaciatur per illas, tanquam per passiones sponte susceptas, eò quod sponte illas non impedit. Cum ergo Deus habeat ad minus causalitatem indirectam, quatenus permittit ea mala, quæ nobis ab inimicis visibilibus aut inuisibilibus inferuntur, & homo conformans se diuine voluntati habeat æquivalentem eandem causalitatem, ut *suprà* vidimus; consequens est, quod per eiusmodi conformitatem, & patientiam fiat æquivalenter causa permissi illarum passionum, sicut si illas potens impedire, non impedisset.

Restat vltimo loco difficultas de illis malis, & flagellis, quæ homo non acceptat, vel, quia non aduertit; vel quia non est in statu acceptandi, ut si rationis usum amisit, vel dormiat: an possit per illa aliquo modo satisfacere, vel satisfieri pro debito pœnæ temporalis. Ioann. Med. *Cod. de satisfactione, quest. 5.* significat passionem externam, ut cadat in solutum, non indigeat acceptatione patientis. Idem affirmat Soto loco *suprà* allegato de pœna temporalis huius vitæ à Deo specialiter inflicta ob peccatum: imò addit, licet patiens resistat, & inuoluntariè, ac impatienter patiat, dummodo sit in gratia, aliquid de pœna Purgatorii auferri per illam passionem: quod vltimum, licet affirmare non audeat; affirmat tamen Ledesma 2. parte, 4. quest. 14. art. 2.

Hanc sententiam reiciunt Vasquez *dicto dub. 7. n. 6.* & Suarez *dicta sect. 7. n. 10.* quia, si flagella ipsa secundum se, absque actu voluntatis patientis, habent vim ad remissionem pœnæ Purgatorii cum illud non esset ex opere operantis, qui supponitur nihil operari; fieret ex opere operato, sicut per Sacramenta; quod nemo concedit. Addit Suarez, id videri contra Tridentinum, vbi petitur, quod hæc flagella patienter tolerantur ad hoc, ut per illa possit satisfieri.

Existimo distinguendum: nam, si sermo sit de satisfactione, certum videtur, ea flagella absque voluntate patientis non posse ad eum effectum deleruire; cum perinde se habeat, ac si esset inops vel amens, qui non est capax satisfaciendi, eò quod satisfactio sit aliquid morale, ac proinde dependens à voluntate operantis iuxta regulas moris. Si verò sermo sit in ordine ad satisfaciendum, & soluendum debitum pœnæ, patientem

pœnam debitam, probabile puto, posse aliquando eam passionem absque voluntate patientis habere talem effectum; quando scilicet, homo est in statu gratiæ, & Deus ad eum finem immittit tale genus flagelli. Nec Tridentinum loquitur de hoc genere solvendi; sed de satisfactione sola, quam dicit; posse fieri per ea flagella patienter tolerata. Nec etiam ex hoc sequitur virtus aliqua in flagellis similis Sacramentis ad expiandum debitum pœnæ ex opere operato. Nam ad tollendum debitum per veram passionem pœnæ debitæ non requiritur aliud, quàm pati verè pœnam debitam. Alioquin etiam pœna Purgatorij esset similis Sacramentis, cum se ipsa auferat, & extinguat debitum pœnæ. Alia verò est virtus Sacramenti, quæ sine solutione extinguit debitum per remissionem pœnæ. Unde minis propriè loquutus est Pater Vasquez, qui n. 6. Impugnans hanc satisfactionem sine actu patientis, infert, quòd flagella ipsa, & eorum passio remitteret pœnam: qui modus loquendi non est melior, quàm si diceres pœnam Purgatorij habere hoc, vt per eius passionem remittatur pœna debita: sicut, si diceres, solutionem debiti habere hanc virtutem, vt eo ipso remittatur debitum: quæ omnia in rigore sunt falsa: nam remissio significat extinctionem debiti absque absolutione: qui autem patitur totam pœnam, quam meretur, solvit totum, ergo non accipit remissionem pœnæ debitæ. Qui ergo solum dicit, posse per illa flagella satisfati hominem, ita vt id minis debeat pari in Purgatorio, quod hic, puniente Deo, passus est, non ponit ullam virtutem in flagellis ad remissionem pœnæ ex opere operato.

85. *Due conditiones requiruntur ad satisfactionem.*

Duas itaque conditiones requirimus, vt hæc flagella possint prodesse per modum satisfactionis. Primam, vt non extinguant maioris pœnæ debitum, quàm ab ipsis afferatur, omnibus pensatis: alioquin iam misceretur aliquid de condonatione, vel satisfactione. Secundum, vt à Deo infligantur in pœnam peccati: diximus enim, de rigore iustitiæ, Iudicem habere ius puniendi delinquentem pœna ab ipso Iudice imponenda, sine eo, quòd attendat ad mala, quæ aliunde delinquens sponte, vel necessitate passus est. Non solvitur ergo debitum pœnæ passionem cuiuscunque flagelli, nisi illud à Deo Iudice in eo titulo imponatur.

86. *Obiiciunt primò: quia, si passio eius flagelli ex se sine voluntate patientis potest extinguere debitum pœnæ, posset etiam cum voluntate contraria, nempe, quando impatienter toleraretur, & cum resistentiâ: posset item in statu peccati; quia non minis posset homo tunc pati, quantum propter aliquod veniale iam prius quoad culpam remissum debebat.*

Respondetur, si homo patitur cum impatientia, quæ sit mortalis, non extinguit debitum pœnæ per flagella temporalia, vt statim dicemus: si verò impatientia sit venialis, non repugnat ex se, quòd semel per passionem alicuius gravissimi mali solvat pœnam debitam pro alio veniali remisso quoad culpam: tunc tamen non debet dici simpliciter, quòd per passionem illam extinguat, etiam quoad partem, debitum pœnæ, quia ferè semper potius augebitur reatus, eò quòd plus pœnæ debebit de nouo propter illud peccatum impatientiæ, quàm sit illud, quod extinguitur per passionem materialem illius mali.

Ad illud verò, quòd additur de existente in peccato mortali, dicimus: eum pro eo statu nec satisfacere, nec etiam satisfati posse pro aliquo etiam reatu pœnæ relicto ex aliqua culpa veniali antea remissa. Ratio est: quia, dum est in eo statu pecca-

ti, & secundum præsentem iustitiam debet pro singulis etiam peccatis venialibus pœnam æternam propter coniunctionem cum morali, vt vidimus *suprà, disp. 19. sect. 2.* non potest ergo pœna temporalis huius vitæ extingui debitum pœnæ illius, quam peccatum mortale sua coniunctione meruit fieri æternam.

87. *Secundò obiiciunt: quia passio huius vitæ non est comparabilis, nec proportionata cum pœna Purgatorij: ergo non erit sufficiens ad extinguendam illam, nisi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem ad redimendam illam pœnam. Respondetur in primis, non excedi hanc pœnam ab illa excessu infinito: quare non apparet, cur pœna temporalis diuturnitate sua non possit æquivalere alicui parti intentionis, & acerbitatibus Pœnæ Purgatorij, ita vt si pœna illa futura erat intensa vt centum, fiat vt nonaginta propter annos triginta, quibus in hoc sæculo punitus fuit homo doloribus acerbissimis, & gravissima infamia. Deinde dato, quòd non posset propter improprietatem æquivalere etiam partialiter pœnæ essentiali, vt ita dicam, Purgatorij; poterit tamen æquivalere alicui pœnæ accidentali: v. g. gravissima, & iniuriosissima infamia, quam homo in hoc sæculo diu patitur; poterit bene æquivalere alicui infamiæ, vel tristitiæ accidentali, quam in Purgatorio debebat pati, atque adeò poterit ex Dei voluntate hæc pœna pro illa subrogari; & tunc, absque vilo voluntatis actu, posset satisfati pro aliquo reatu pœnæ accidentalis, quam debet.*

DISPUTATIO XXV.

De satisfactione, provt est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

SECT. I. *Quomodo satisfactio sit pars huius Sacramenti; & an causet gratiam ex opere operato.*

SECT. II. *De effectu satisfactionis sacramentalis circa remissionem pœnæ.*

SECT. III. *An pœnitentia impleri possit in statu peccati; & quem effectum tunc habeat; & quid, si absque intentione impleatur.*

SECT. IV. *Quomodo, & qualem satisfactionem debeat Sacerdos imponere.*

SECT. V. *Quam obligationem habeat pœnitens acceptandi, & implendi pœnitentiam.*

SECT. VI. *Virum pœnitens ipse, vel vnus Confessarius, possit commutare pœnitentiam ab alio impositam.*

DE Satisfactione sacramentali aliqua diximus *suprà, disp. 12. sect. 2.* vbi vidimus, eam esse partem intrinsecam huius Sacramenti, vt constat ex Florentino, & Tridentino ibi adductis: explicuimus etiam, quomodo verba illa, quibus Sacerdos pœnitentiam imponit, sint pars Sacramenti, & aliqualis forma satisfactionis in aliquo sensu: quæ omnia repetenda non sunt in hoc loco, sed reliqua breuiter percurrenda.